

De historia Praemonstratensium in Hispania notulae quaedam

Pluries ac variis in locis tractatum est de origine congregationis Praemonstratensium in Hispania saeculo decimo sexto¹⁾). Remittere sufficiat cultores huius periodici ad P.E. VALVEKENS, *L'Ordre de Prémontré et le Concile de Trente: la Congrégation des Prémontrés d'Espagne*, in: *Analecta Praemonstratensia*, 1932, t. VIII, pp. 5-24; T. MORAL, *Bases para una historia del «Prémontré» en España*, *ib.*, 1968, t. XLIV, pp. 282-308. De iis quae egit abbas generalis Despruets ad hoc ut unio completa omnium Praemonstratensium in variis regionibus commorantium, speciatim in Hispania existeret, nosipsi egimus: *Documenta quaedam de habitudine Abbatis Generalis Despruets († 1596) ad Congregationem Praemonstratensium Hispanorum*, *ib.*, 1967, t. XLIII, pp. 226-271. Documenta ibidem relata et tractata retulimus iuxta eorum tenorem ms. bibl. mun. Nancy, 1766 (993). In fine illius tractationis, hanc conclusionem generalem posuimus: «In praxi, scissio inter Praemonstratenses in Hispania et extra Hispaniam viventes, completa erat». Conclusio ista, in genere hac ratione proposita, recte nimis rigida dici potest. Eo quod constat ex parte Hispanorum Praemonstratensium non raro adiutorium validum collatum esse Ordini in variis circumstantiis. Uterius Capitula generalia Ordinis universi ac ratio agendi Abbatum generalium separationem ab Hispanis numquam uti vere completam considerarunt.

Ut historia quodammodo positiva Congregationis Praemonstratensium Hispanorum confici posset, documenta perplurima in variis Archivis Hispaniae latentia et hucusque parum explorata, examinari deberent. Summarium illius historiae non ita protractum exponit N. BACKMUND, *Monasticon Praemonstratense*, t. III, Straubing, 1956, pp. 209-228.

¹⁾ P.E. VALVEKENS, *L'Ordre de Prémontré et le Concile de Trente. La Congrégation des Prémontrés d'Espagne* in *Anal. Praem.*, 1932, t. VIII, pp. 5-24; J.B. VALVEKENS, *Documenta quaedam de habitudine Abbatis Generalis Despruets (+ 1596) ad Congregationem Praemonstratensium Hispanorum* in *Anal. Praem.*, 1967, t. XLIII, pp. 226-271; J. GOÑI GAZTAMBIDE, *La Reforma de los Praemonstratenses españoles del siglo XVI*, in *Hispania Sacra*, 1960, t. XIII, pp. 5-96; T. MORAL, *Bases para una historia del «Prémontré» en España*, in *Anal. Praem.*, 1968, t. XLIV, pp. 282-308.

Dubio non vacat Congregationem illam sub respectu religioso stricto et sub respectu culturali plurima vere praeclara praestasse. Quod erudite, relate ad periodum determinatam, exponit A. HUBER, *Spanien und die Prämonstratenserkultur des Barock* in *Historisches Jahrbuch*, 1953, t. LXXII, pp. 348-378.

In praesenti articulo notas nonnullas in unum colligere intendimus, quae varios respectus habitudinum inter utramque partem Ordinis Praemonstratensis, stricte praemonstratensem et Hispanicam illustrare natae sunt. Notas illas sub variis paragraphis proponimus.

1. *Abbas generalis Despruets († 1596), et successores immediati.*

Despruets revera nihil omisit ad hoc ut omnes Praemonstratenses sub uno capite vere adunatos retineret. Eventus «Reformationis» in abbatiiis Hispaniae, ante suum inceptum munus abbatiale iam inceptae ac stabilitae, flectere ad sua dederat ac voluntatem ipsi datum non est. Quod negari nequit legendo varias epistolas ab eodem Despruets ad Hispanos suos confratres missas, quas retulimus loco supra indicato.

Hispani illi Praemonstratenses ob varias rationes vivere non amplius volebant sub stricta uniformitate cum «Prémontré». Quod tamen nullatenus includebat illos Hispanos sese constanter indifferentes praeuisse erga illud «Prémontré». Hoc iam deduci potest ex eo quod constare videtur provisionem apostolicam, vi cuius Despruets ad munus abbatis generalis evectus sit, obtentam esse consequenter ad conatus eorundem Hispanorum apud Summum Pontificem. Quod merito concludi potest e ms. Vergara, asservato in arch. Valladolid, f. 119-24, e quo apparet provisionem apostolicam dictam obtentam esse opera Ioh. Martinez, procuratoris Hispani Romae. «Summopere enim et solus laborabat ad superandas machinationes personarum potentium, commendae archicoenobii avidarum»²⁾. Despruets ipse e sua parte concedit, in litteris 15 iulii 1578, quibus abbatem Retuertensem constituit suum Vicarium generalem in Hispania, in quibus agnoscit suos confratres Hispanos plurima minus bona esse perpensos «ob diuturnam inopiam regularis Abbatis monasterii Praemonstratensis». (cfr. *An. Praem.*, 1967, t. XLIII, p. 244).

Praemonstratenses Hispanos sese nullo modo considerasse uti plene et

²⁾ Cfr. N. BACKMUND, *Monasticon Praemonstratense*. T. III, Straubing, 1956, p. 216, n. 19.

canonice separatos a «Prémontré», pluribus declarationibus contemporaneis ostendi potest. Vicarius generalis Hispanorum, «reformator generalis» dictus, quidem a suis confratribus Hispanis eligebatur et quidem pro triennio; confirmari vero semper intendit ille Vicarius ab Abbate generali. Quod merito notatur a C.L. HUGO, *La Vie de S. Norbert, archevêque de Magdebourg*, Luxemburgi, 1704, p. 343: «Le provincial est obligé à demander la confirmation au Général, ensuite de laquelle il exerce les mêmes droits sur toutes les Abbayes d'Espagne, à moins que le Général ne soit sur les lieux en personne et en ce cas le Provincial n'a pas d'autre droit que celui qu'il plaît au Général de lui accorder». Item abunde patet ex eo quod anno 1581, de Villaluenga, qua legatus confratrum suorum Hispanorum, tetenderit Praemonstratum ut reformatio assumpta in Hispania ab Abbate generali approbaretur³). Anno 1568, cum cardinalis Ferrariensis abbas esset commendatarius in Prémontré, vicarius generalis in Hispania, abbas Retuertensis, Lucas ab Avila, cum consensu cardinalis-abbatis commendarii, convocavit capitulum provinciale Hispaniae; seipsumque intitulando: «Vicario general de España por el illustrissimo y reverendissimo Señor el Cardinal de Ferrara, Abbas de S. Juan de Praemontrato, generalissimo de toda la dichte Orden». (C.L. HUGO, *Sacri Ordinis Ordinis Praemonstratensis Annales* t. II, Nanceii, 1736, Prob. col. CCLIV).

Abbates generales, successores Despruets, eodem modo sese gesserunt erga confratres suos Hispanos. Quod paucis ostendere vellemus pro generalatu Abbatum generalium Fr. de Longpré (1596-1613) et Aug. Le Scellier (1645-1666). Cum a. 1597, eligeretur quintus provincialis Hispanorum, Iohannes de Terrero, iste, more suorum praedecessorum in munere provincialis, confirmationem suae electionis ex parte abbatis generalis, de Longpré rogat (Cfr. *An. Praem.*, 1967, t. XLIII, p. 268). Abbas generalis de Longpré, modum agendi Hispanorum probare non vult, ipso testante. Sed «quod habemus impertimur». Scilicet; Vicariatum in Hispaniae partibus» (l.c., p. 269).

Anno 1645, le Scellier abbas generalis Ordinis constitutus est. Sub eius munere generalitio, scripsit ad ipsum litteras Ioh. Dubal⁴), reformator

³) P.E. VALVEKENS, l.c., pp. 20-22.

⁴) Cfr. de Dubal: L. GOOVAERTS, *Ecrivains, Artistes et Savants de l'Ordre de Prémontré*, t. I, Bruxellis, 1899, p. 209. Iteratis vicibus abbas, Reformator generalis (Provincialis) in Hispania.; abbas 1663-1666; obiit anno 1670. — In hac epistola, Dubal se dicit natum in idiomate gallico. «Ad manus meas pervenit quaedam Epistola... ab Abbatem Monasterii S. Norberti Matritensis (qui, annis 1660-1663, erat Ambr. Baut. de Abreu), super quodam negotio gravi, occasione electionis sive provisionis Abbatiae Viconiensis (Vicogne, in

generalis, seu provincialis Praemonstratensium in Hispania (1663-1666), quibus rogat ut Abbas generalis le Scellier intercedere velit apud regem Hispaniae, ut electio abbatis Matthaei de Nanante⁵), confirmaretur ex parte Regis. Tenorem istius epistolae habemus ex ms. Nancy 1766 (933) p. 174 b. In hac epistola exponit Dubal habitudinem suae Provinciae ad Ordinem universum. Cui, ita Dubal, sui confratres Hispani fideles et sincere addicti remanere volunt. Postquam dixit morem vivendi Hispanorum probatum esse a Summis Pontificibus, haec, inter alia, exponit: «Habitum mutavimus, ut asseris, non inficior, licet possem; ad essentialem, imo accidentalem gerimus conformem antiquo, et primitivo nostri Ordinis habitui, ut videre est in antiquis Statutis, quem vos deseruisti, ut novum ac insolitum habitum in toto Ordine introduceretis cum novis constitutionibus.... Dicis quod mutavimus caeremonias ... in aliquibus, fateor; in omnibus, non ita. Sed quod mutavimus, non fuit auctoritate propria, sed auctoritate apostolica, quatenus erant incompatibilia cum Reformatione, auctoritate S. Sedis iniuncta, per quam praeciuntur Abbates triennales, non perpetui. Quod Missae et alia divina officia iuxta ritum et formam Breviarii et Missalis Romani persolvantur; cum tanto rigore quod nobis fuit denegatum per foel. rec. Innocentium 10. posse recitari antiquum officium S.P. Norberti, prout in propriis Breviariis Ordinis, quamvis ex parte huius Congregationis fuerit supplicatum. Et solum concessum fuit pro officio ...» Unionem et dependentiam huius Congregationis cum aliis affectuose desideras. Et nos nullatenus oppugnaremus. Sed ad quid habebimus Praelatum, cuius numquam faciem videbimus? Plura antiqua documenta in Archivis Monasteriorum huius Congregationis perlegi, et nullum inveni, ex quo appareat Abbatem Praemonstratensem aut ullum ex commissione illius

dioecesi, olim Atrebatensi, nunc Cameracensi), que, quia scripta erat Gallico idiomate in quo natus fui, et procreatus ad 13 annum aetatis meae, quando ad haec Hispaniarum Regna deveni, ubi nostrum et canonicum Ordinem Praemonstratensem ingressus in Monasterio S. Mariae de Retuerta, professionem emisi. Et quia Gallici sermonis nondum totaliter oblitus, mihi tua Epistola transmissa fuit, ut in linguam Hispanicam transcriberem, quod et feci». Haec epistola scripta (ms. Nancy 177 (993), fol. 174 b.) fuit «occasione praetensae Abbatiae Monasterii Viconiensis per quemdam fr. Matthiam Nanante, huius oneris (ut antea probatum) imparem, scripserat ad Abbatem S. Norberti Matritensis, qui pro viribus apud Regem Catholicum ageret, ne praefatus Matthias promoveretur».

⁵) De facto, Nanante non abbas factus est a. 1660; sed Claudius de la Rue. Cfr. B. N. BACKMUND, *Monasticon Praemonstratense*, t. II, Straubing, 1952, p. 437. De Nanante, haec legimus apud J. GENNEVOISE, *L'Abbaye de Vicogne*, Lille, 1929, p. 251: «Mat. Nante, bachelier en théologie de l'Université de Douai, proviseur, 1658; prieur, 1659, 16660, neveu de l'abbé Christophe Labbe (+ 1660) et recommandé par lui pour la charge abbatiale».

ad haec Hispaniarum Regna devenisse, visitationis aut reformationis gratia per fere quingentos annos, quibus haec Congregatio ei subiecta fuerit⁶⁾. Sed quoties monasteria erant visitanda, committebat aliquibus Abbatibus huius Congregationis. Separationi causam et occasionem sufficientem dedistis, ex eo quod Abbas Praemonstratensis renuerit confirmare Provincialem in nostro Capitulo electum, taliter quod transferat totum suum triennium absque confirmatione in grave praeiudicium suae dignitatis... Post praedictam Reformationem in hac Congregatione inductam crevit et quotidie crescit noster Ordo in his Regnis, tam in regulari observantia, et litterarum studio, quam in bonis temporalibus, Monasteriorum aedificiis, et ecclesiasticis ornamentis ac frequentia et devotione populi christiani. — Secundum nostrae Reformationis Constitutiones habemus recursum appellationis, quando necesse fuerit, in omnibus causis civilibus et criminalibus intra hanc Congregationem, neque ad hoc fit mentio de Abbate Praemonstratensi. Et, experientia teste, si quidam aliquando Ordinis ad dictorum audientiam confugit, fuerunt aliqui Apostatae aut fugitivi, qui effugientes carcerem Conventuum, in quibus propter sua delicta detinerentur, aufugerunt, et tibi forsitan aut tuis praedecessoribus narraverunt, non adesse regularem observantiam in nostra Congregatione, et huiusmodi alia, quia Praelati seclusa reunione, ac subiectione, ego, et aliis plures ex nostris desideramus, quod vos inter et nos introducantur commercium, confraternitas, et mutui amoris benevolentia. Et quod nobis communicetis egregia scripta Auctorum nostri Ordinis, et Vobis communicabimus nostra, ad maiorem gloriam et honorem Ordinis nostri. Saepius desideravi videre Vitam S.P.N. Norberti per Joan. Chrysostomum Vander Sterre⁷⁾ conscriptam, nimis laudatam. Sed numquam ad haec Regna pervenit, et alia aliorum Doctorum opera, si quae recenter edita sunt a nostris canonicis». Ex his litteris Dubal satis clare perspicitur quaenam erant, in praxi, gravamina Praemonstratensium Hispanorum eo tempore erga Abbatem generalem, et gubernium centrale Ordinis.

⁶⁾ Anno 1633, abbas Parcensis, Drusius, sic ordinante Capitulo generali, visitationem canonicam instituit in Circaria Hispaniae. De hac visitatione, Deo dante, postea magis pressius tractabimus.

⁷⁾ Opera illa indicantur apud N. WEYNS, *Jean-Chrysostôme vander Sterre, abbé de Saint-Michel d'Anvers* in *Anal. Praem.*, 1972, t. XLVII, pp. 110-115.

2. *Capitula generalia.*

In Actis et Decretis Capitulorum generalium Hispani Praemonstratenses invitabantur; aut, licet brevi, de eis mentio fit in decretis Capitulorum generalium, saltem inde ab anno 1574, in Actibus, in quantum hi Actus nobis noti sunt.

a) *Capitulum generale a. 1574* (sub abbate generali Despruets).

In prima sessione huius Capituli haec legimus (ms. Laon 538, p. 503): «Audita relatione Reverendissimi Domini Praemonstratensis (Despruets), de electione Provincialis triennalis et triennalium Abbatum in Circaria Hispaniae et annuo Provinciali Capitulo: Capitulum dictam electionem triennalium Abbatum et triennalium Provincialium et annum Capitulum provinciale omnino reprobatur tamquam contrarias dictas electiones triennales consuetudini et Statutis et privilegiis Ordinis; approbat autem Vicariatum in mense Aprilis nuper elapso missum ad Abbatem de Retuerta⁸⁾ per dictum Reverendissimum, reservata dicto Reverendissimo visitatione».

b) *Capitulum generali a. 1582* (sub abbate generalis Despruets).

In sessione prima (ms. c., p. 524): Capitulum haec declarat: «Capitulum gratam habet obedientiam Reverendissimo praestitam per confratres Hispaniae; et quoad triennialitatem Abbatum remisit prudentiae Summi Pontificis, prout Reverendissimus remisit, modo de triennio in triennium unus eorum adsit Capitulo generali cum solutione talliarum, prout promiserunt»⁹⁾.

⁸⁾ Cfr. P.E.V., l.c., p. 19: «Au cours de 1581, les esprits semblaient suffisamment calmes, de part et d'autre, pour entreprendre les pourparlers directs. L'abbé de Retuerta, Provincial, Jérôme Calderon convoqua les abbés de la congrégation espagnole à une assemblée plénière à Retuerta. Le but de cette assemblée n'était autre que celui-ci de retourner totalement, si possible, sous l'obédience du général de Prémontré... Ainsi commença, entre le général et le plénipotentiaire de la congrégation d'Espagne, ce qui peut se nommer une conférence de la paix...». «Le parti anti-Prémontré semble peu après avoir repris le dessus». (l.c., p. 21).

c) *Capitulum generale a. 1584* (sub abbate generali Despruets).

In sessione prima (ms. cit, p. 532) haec declarat Capitulum: «Item, quia Abbates Hispaniae, prout convenerant cum Reverendissimo ac Capitulo generali affuturos, quia nullam excusationem miserunt nec tallias Ordini et Capitulo generali debitas miserunt, contumaces iudicat et praecipit sub poena excommunicationis in obsequio divino persolvendo nostris libris et ritibus utantur»¹⁰).

d) *Capitulum generale a. 1602.*

Acta huius Capituli generalis nobis praesto non sunt; ignoramus an revera hi Actus olim exteterint aut adhuc existant. In ms. Nancy 1766 (933), sub numero 250 refertur Indictio Capituli generalis futuri in monasterio Praemonstratensi celebrandi. Indictio et invitatio ista ab Abbate generali de Longpré speciali modo dirigitur ad Hispanos ut illi Capitulo generali totius Ordinis adesse velint. Invitatio illa sic sese habet: «Franciscus a Longo Prato, Dei et Apostolicae Sedis gratia, Monasteriorum Vallis Secretae et Praemonstratensis humilis Abbas, et totius Ordinis caput, ac Reformator generalis. Dilectis Confratribus Abbatibus nostri Ordinis in florentissimo Hispaniae Regno commorantibus, salutem in Domino perpetuam. Cum ex Monasterio Praemonstratensi, coeterorum Matre, dissolutiones, quibus idem Ordo noster diffluit, tamquam specula conspiciamus, terreat Nos magnopere prophetia divinae comminationis vibrata in Pastores negligentes, tela, terret severa Sacerdotis Heliba (Heli) negligentiae erga filios castigatio, terrent, inquam, Nos haec adeo ut ad terrores huius iusti causas amputandas, omnem movere lapidem cogimur, quas si soli non possumus ad auxiliatrices vestras manus confugere opere pretium iudicavimus, quia soli non possumus res agitare, fratres venerandi. Vobis non minus quam Nobis praecipit Deus excubare in vigiliis sanctitatis. Haec unusquisque vestrum curae suae commissos, de quibus exactam in die furoris redditurus est rationem. In hoc solum est discrimen quod unusquisque dumtaxat unum commissum sit sanctuarium, nostris vero humeris, quidquid oneris in Ordine est, impositum sit. Cui oneri ne succumberent praedecessores nostri, solemni quotannis Ordinis Patres convocare, ut in eodem loco

¹⁰) En 1584, la délégation espagnole manqua de comparaître au Chapitre général. Depruets fit porter un décret capitulaire, déclarant les Espagnols contumaces et leur ordonnant, sous peine d'excommunication, de faire usage du bréviaire et du rituel prémontré» (l.c., p. 23 s).

pariter cum illis congregati, serio de cultus aviti disciplina, refraenandisque improborum moribus agerent. Quae quidem consuetudo quamdiu locum habuit, Reipublicae Norbertinae conditio sarta tectaque permansit. Sed ubi bellorum tempestate deperiit, omnia pessum ire dolentes animadvertimus. Dum igitur ex nostro Pastoralis officio munere hunc deperditum morem nitimur pro viribus restaurare, hortamur vos, ne voces nostras ad nos vacuas reverti, tubamque illam, qua Capitulum generale vobis denuntiamus et indicimus, personare in vanum in auribus vestris permittatis. Quin potius venite tamquam filli ad Patrem, et oves ad Pastorem exhibere vos tales, quales vos fore coram augustissimo Christo ipso professionis die liberrima voce promisistis. Venite insurrecturi in vitiorum in quibus impugnamur et obruimur monstra. Et si quae habetis apud vos ad pravos vitiorum humores e corpore Ordinis mystico deturbandos pharmaca ut sint illa quae dixistis statuta, Nobis rem gratissimam et toti Ordini maxime profuturam facietis, si Capituli generalis Patribus obtuleritis. Quod si forte vobis omnibus iter aggredi pro nunc non libuerit, num saltem, qui pro coeteris Provinciae vestrae Abbatibus legatione fungiturum, Procuratorisque vices obeat, mittere non renuatis. Sic nostris praeceptis obtemperantes, ab eo, qui obedientiam victimis meliorem existimat, amplissimam accipietis mercedem. Nos vero efficiemus, Domino O.M. opitulante, ut patrios lares summo cum animi gaudio et satisfactione, repetere possitis. Datum Praemonstrati, die 13. Augusti anni 1601. — Franciscus a Longo Prato. — De mandato Rdi Domini mei Praemonstratensis: fr. Claudius Gilbin».

Huic indictioni et invitationi Hispani nostri non obtemperarunt. Suum modum agendi hac ratione vindicabant (l.c.n. 251): «His adeo alte et quidem religiose insonantibus paternae tubae vocibus, Patres huius Congregationis non obtemperasse haud mirabuntur, qui serio perpenderit, vel in ipsismet proxime allatis litteris, et superius per viginti septem annorum spatium ab initio videlicet nostrae Reformationis, a Rmo de Longo Prato, et praedecessore Rmo Despruetis missis, firmam eorum sententiam in oppugnanda nostra Congregatione, in erectione, ne dicam, parvipendendis Statutis nostris, auctoritate apostolica roboratis. Quibus numquam assuescere voluerunt. Profecto numquam Provincialis electionem, aliaque Statuta confirmarunt Rmi Dni Praemonstratenses, iteratis tot vicibus suppliciter requisiti, ab eorum durissima in hac parte obedientia, alioqui tamen nostris ab institutione Ordinis gratissima resilire, nec iurisdictionem infirmare Praemonstratenses Hispani tentassent. Sed quod quos sic reformatos corporis Norbertini membra univer-

sale Ordinis Caput recusabat agnoscere, Universalis Ecclesiae Caput bipartito replicatove, nec sine speciositate Praemonstratense augere positionem nostram consultius duxit, ne penitus deperiat, sub speciali Capite separatam collocare. Videntes huius Congregationis Patres confirmandi iurisdictionem Rmo Praemonstratensi a Sede Apostolica relictam ad Diffinitorium ab eadem tandem devolutam; praetereaque scriptura, quod Superior in his partibus generalis Reformatore nuncuparetur. Et hoc a foel. rec. Clemente 8^o sequentibus litteris obtinuerant». Sequuntur in illo responso Hispanorum litterae Clementis VIII.

e) *Capitulum generale anni 1622.*

In prima sessione huius Capituli haec statuuntur (ms. Laon 538, p. 603): «Capitulum examinatis litteris a Rdis Confratribus nostris Circariae Hispaniae ad Rdum Confratrem nostrum Abbatem Parcensem¹¹, quibus eundem Visitatorem ipsius auctoritate Rmi Dni Praemonstratensis et Capituli etiam in ipso Visitatore cum effectu agnoscant, sicut per Statuta sua etiam obligantur. Quod si privilegia in contrarium praetendant, authenticam eorum copiam vel in manum Rmi Dni vel Visitoris deputati transmittent ut iis visis Capitulum ordinet et statuatur quod iuris fuerit. Decernit autem Confratres Hispaniae ad futurum Capitulum citandos, sicut nunc eos de facto citat ut ibidem compareant, sub poenis contumaciae et inobedientiae debitis, et a Iure latis. Quas ut debitae executioni demandentur, Capitulum continuavit et continuat commissionem confratri nostro Parcensi antea datam».

Munus istud visitoris in circaria Hispaniae abbati Parcensi, Drusio, commissum fuerat in Capitulo generali anni 1619, in quo (in ultima sessione) (ms. Laon 538, p. 601) edicitur: «Circariam Hispaniae visitabit Rdus Abbas Parcensis»¹²).

f) *Capitula generalia ann. 1625-1633.*

In istis Capitulis generalibus renovatur constanter munus visitandi Circariam Hispaniae commissum abbati Parcensi.

Pro Capitulo anni 1625 (in quo deerant abbates Belgii, ob rationes

¹¹) Ioh. Drusius fuit abbas Parcensis annis 1601-1634 et Vicarius generalis pro Circaria Brabantiae. Maxima fuerunt sua merita in compositione et redactione Statutorum Ordinis a. 1630.

¹²) Drusius.

politicas in regionibus tunc vigentes). Anno 1625 (ms. c., p. 624): «Circariam Hispaniae, Dnus Parcensis». — Anno 1627, praesente in Capitulo abbate Parcensi (ms. c., p. 630): «Visitatores... Circariae Hispaniae, Rdus D. Parcensis, cum substitutione potestatis». — Anno 1630 (ms. c., p. 1652), praesente in Capitulo abbate Parcensi, iterum «Visitatores... circariae Hispaniae: Rdum D. Parcensem». — Anno 1633 (ms. c., p. 690): «Circariae Brabantiae, Frisiae, et Hispaniae (visitabit) Rdus D. Parcensis cum potestate substituendi». Speciali mentione digna videtur declaratio Capituli Generalis anni 1627, in qua haec decisio fertur: «Actum 10 Maii 1627. Ex Circaria Hispaniae, quandoquidem nemo comparuerit, nec eadem excusationis litterae ad Capitulum fuit (sic!) transmissa decretum est ad eosdem denuo scribendum ex parte Capituli idque valde serio, ut infra octo menses causas dicant suae non comparitionis; ac ut sub poena suspensionis a divinis transmittant si quae habeant privilegia derogantia primae Reformationi ipsius Bullae, iuxta quam subiecti manebunt Revmo Domino Praemonstratensi, tamquam totius Ordinis Generali cum aliis clausulis in eadem contentis» (Laon, ms. 538, pp. 635 s.)

In Capitulo Generali anni 1630 (ms. Laon 538, p. 649 s) haec conclusit Capitulum: «Audito Rev. Domino Parcensi (Drusius), Visitatore capitulari Circariae Hispaniae, referente quod indictionem praesentis Capituli Generalis ad illius Circariae Provincialem.... (sic in ms.) et ostendente per litteras quod eandem indictionem receperit nec eas suas litteras legere dignatus sit et multo minus respondere nec se excusare: Capitulum ordinavit ut praedictae Circariae Visitor a praesenti Capitulo deputatus sub poenis ecclesiasticis Provincialem pro tempore existentem, compellat ut privilegium exhibeat quo Circariam ostendat se exemptam ut in Capitulis Generalibus nullus Praelatorum eiusdem Circariae comparere debeat et dictum Provincialem venire aut mittere recusantem debite puniat et castiget».

g) *Capitulum generale anni 1657.*

Huic Capitulo non aderant abbates Belgii, praeter abbatem Leffiae¹³). In sessione tertia (ms. c., p. 707), declaratur, ubi examen institutum est de more, absentiarum et excusationum pro illa absentia allatarum: «Item

¹³) Annis 1610-1636 Joh. Noizet abbes erat Leffiensis (in dioecesi, olim Leodiensi, nunc Namurcensi). Cfr. N. BACKMUND, *Monasticon Praemonstratense*. t. II, Straubing, 1952, p. 388.

Capitulum declarat contumaces Rdos Abbates Circariae Hispaniae, Bellelagiensis¹⁴), Sancti Pauli Senonensis¹⁵), et Priorem Thenoliae et Sancti Andreae Claromontensis¹⁶), coeterosque excusavit». — In eodem Capitulo, in sessione decima septima (ms. c., p. 738):» Item, audita relatione status litis alias anno 1630 a bonae memoriae Ioanne Drusio, abbate Parcensi¹⁷) a Capitulo generali ad visitandam Hispaniae circariam in Curia Romana contra eiusdem Circariae recusantes Visitatori obtemperare, motae, Capitulum Procuratori generali Ordinis in Curia Romana constituto¹⁸) mandat, ut dictam litem prosequatur».

h) *Capitulum generale anni 1660.*

(ms. c., p. 781 s). Edicitur: «Item, secretario (du Crocq) agente de contumacia eorum qui a postremo Capitulo abfuerunt, R.D. Gallot¹⁹) dicit se tunc per litteras excusasse, sed serius propter belli tumultus, suas Praemonstratum pervenisse litteras, Et quod attinet ad Patres circariae Hispaniae, obedire Capitulo generali totius Ordinis, R.D. Furnensis²⁰) dicit se notorio bello impeditum ne visitati fuerint Hispani; et decretis aliquibus per R.D. Parcensem²¹) et per Capituli secretarium²²), de lite in Curia Romana contra Circariam Hispaniae obedire Capitulo generali Ordinis reluctantes, Capitulum diffinivit et diffinit et mandavit Procuratori generali totius Ordinis²³) ut litem prosequatur et curet dictos

¹⁴) Annis 1612-1637, David Juillerat abbas erat Bellelagiensis (Bellelay, in dioecesi Basileensi). Cfr. N. BACKMUND, o.c., t. I, p. 360.

¹⁵) Annis 1606-1633, Robertus de Biez abbas erat S. Pauli Senonensis (in dioecesi et civitate eiusdem nominis). Cfr. N. BACKMUND, o.c., t. II, p. 552.

¹⁶) Abbatia S. Andreae Claromontensis tunc erat sub abbate commendatario; prior abbatiae, qua procurator Circariae Alverniae, in Capitulo generali anni 1622 aderat.

¹⁷) Cfr. n. 11.

¹⁸) Iuxta Acta Capituli generalis anni 1657 (ms. c., 706), Gregorius du Crocq erat tunc Procurator generalis Ordinis apud Curiam Romanam. Ipse fuerat secretarius Abbatis generalis et Capitulum generalium; scriptor fuit ms. Laon 538, in quo continentur Actus et Decreta plurimorum Capitulum generalium. Cfr. L. GOOVAERTS, l.c., t. I, p. 211 s.

¹⁹) Cum abbatia Thenoliensis (Thenailles, in dioecesi, olim Laudunensi, nunc Sussionensi), eo tempore abbate regulari esset orbatus, et subesset Abbati commendatario, pro canonica Thenoliensi, prior, cui nomen, Gallot, Capitulo inerat. Cfr. ms. 538, Laon, p. 776.

²⁰) Annis 1654-1667, Godefridus Courteville, abbas erat Furnensis, in dioecesi, olim Tarvanensi, nunc Brugensi. Cfr. N. BACKMUND, *Monasticon*, t. II, p. 429. In Capitulo generali praecedenti, iste constitutus erat visitator Hispaniae.

²¹) Ioh. Drusius.

²²) Gregorius du Crocq. Cfr. n. 18.

²³) Annis 1647-1665, C. de Velasco abbas erat Grimbergensis. Cfr. N. BACKMUND, o.c., t. II, p. 189.

Patres Hispanos Romam citari, ne currat praescriptio; interea quaerenda via qua ipsi facilius ad obedientiam redeant». — In eodem Capitulo anni 1660 (sess. 20a) (ms. c., p. 837), designantur Visitatores Capituli. (In textu sermo fit stricte de Vicariis; denominatio illa, nostro iudicio, tribui debet secretario Capituli, non ipsi Capitulo): «R. Dom. Grimbergensis»²³).

i) *Capitulum generale anni 1663.*

In sessione 14a huius Capituli (ms. Nancy 1767 (994), Fol. 265b) haec edicuntur in Actis: «Absolutis precibus, advocata circaria Hispaniae. cum nullus compareret, lecta est relatio R.D. Caroli abbatis Grimbergensis²⁴), visitatoris nominati ab ultimo Capitulo huius Circariae, per quam reddit rationem Capitulo quantum operatus sit ut exequeretur suam commissionem; cum tamen nihil praestare potuerit ob resistantiam Hispanorum qui se a iurisdictione Rmi D. Praemonstratensis et Capituli generalis exemptos praetendant, quod etiam innotuit ex Epistola R.D. Widacensis ad R.D. Abbatem S. Ioannis de Castella²⁵), in qua dicit omnes Conventus nostri Ordinis in circaria Hispaniae subiici totaliter et in omnibus Generali Ordinis in Hispania, neque ullo modo Generalissimo Gallo, cuius indictionem ad hoc Capitulum generale fatetur se accepisse,; quam tamen se transmissam Generali suo Hispano profitetur²⁶). Quibus omnibus lectis et diligenter attentis, declaravit eos Capitulum praesens contumaces, omni via iuris contra eos agendum, donec ad obedientiam Ordini debitam redeant, et praesertim adeundum Regem Christianissimum²⁷), eique supplicandum, quatenus efficaciter operari velit apud Suam Sanctitatem pro tuitione iurium Rmi Abbatis Praemonstratensis, Generali totius Ordinis».

In fine eiusdem Capituli, sess. 16a, inter «Vicarios», pro Hispania constituitur abbas Grimbergensis²⁸) (ms. c., fol. 268b).

²⁴) Ibidem.

²⁵) Abbas Widacensis = Urdax, in dioecesi Pampelonensi, tunc erat Bernardus Aguirre. Cfr. N. BACKMUND, o.c., t. III, p. 200; abbas S. Io. de Castella = St.-Jean-de-la-Castelle, in dioecesi, olim Aturicensi (Aire), nunc Aquensi (Dax), annis 1659-1675, erat Io. de Lompagien II. Cfr. N. BACKMUND, o.c., t. III, p. 196.

²⁶) Annis 1663-1666, Franciscus Dubal provincialis abbas erat in Hispania cfr. N. BACKMUND, *Monasticon*, t. III, p. 235.

²⁷) Ludovicus XIV.

²⁸) C.C. de Velasco.

j) *Capitulum generale anni 1666.*

Acta huius Capituli nobis nota non sunt, praeter fragmenta quaedam, in quibus agitur de abbatibus Circariae Brabantiae.

h. *Capitulum generale anni 1670.*

Acta huius Capituli completa nobis nota non sunt. In fragmentis notis sermo fit de visitoribus nonnullis, praesertim pro Circaria Franciae. De Hispania in illis fragmentis sermo non fit.

l) *Capitulum generale anni 1686.*

Iuxta Acta huius Capituli generalis asservata in ms. Nancy 1767 (994), in sessione 15a (ms. c., Fol. 362b), haec habentur: «Auditis excusationum Receptoribus, Capitulum generale excusationes absentium admisit, praesertim quas accepit a Reverendis Dominis Abbatibus Circariarum Poloniae, Bohemiae, Moraviae, Bavariae, quos ob itinerum pericula et ingruentes Turcarum copias, legitime excusatos declaravit. Quia vero Hispani, quantumvis ad Capitulum praesens per indictionem vocati, non comparuerunt, nec nullum e Circaria sua Deputatum, nullasque excusatorias litteras miserunt, eos Capitulum generale rebelles ac contumaces declarat et praecedentium Capitulorum decretis inhaerens, volensque ius suum in dictas Circarias conservare, mandat Procuratori generali Ordinis in Curia Romana²⁹⁾, ut omni via Iuris adversus eos procedat, eosque Reverendissimo Domino Praemonstratensi, et Capitulo generali obtemperare compellat».

In eiusdem Capituli sessione 16a, indicantur Vicarii generales. Pro circaria Hispaniae, indicatur R.D. Abbas Ninoviensis³⁰⁾. Indicantur insuper Circatores Capituli seu Visitatores (ms. c., fol. 362b); sed nihil hic habetur de Hispania.

m) *Capitulum generale anni 1717.*

Huius Capituli generalis extant Acta impressa.

In sessione 11a (p. 17 textus impressi), haec legimus: «Tandem ventum est ad Hispanos quantumvis ad Capitulum praesens indictionem vocati,

²⁹⁾ Annis 1686-1726, Ignatius Backx, canonicus Tongerloensis, procurator generalis Ordinis apud Curiam Romanam erat. Cfr. L. GOOVAERTS, o.c., t. III, p. 14 s.

³⁰⁾ Annis 1685-1698, Ferdinandus de Moor abbas erat Ninoviensis. Cfr. N. BACKMUND, o.c., t. II, p. 317.

minime tamen comparuerint, nec ullum a Circaria sua deputatum, vel excusatorias litteras miserint, ideo eos Capitulum rebelles, necnon contumaces declaravit et declarat, et praecedentium Capitulorum decretis inhaerens, volensque ius suum in dictam Circariam conservare, mandat Procuratori Ordinis in Curia Romana³¹⁾ ut omni via Iuris adversus eos procedat, tandemque Rmo Domino Praemonstratensi et amplissimo Capitulo generali obtemperare compellat».

In fine huius Capituli determinantur Vicarii generalis: pro circaria Hispaniae, designatur: Abbas S. Andreae in Nemore³²⁾. — Visitor nullus indicatur pro Hispania in Actibus impressis.

n) *Capitulum generale anni 1738.*

Actus huius Capituli generalis impressi extant.

In Actibus illis impressis nihil dicitur de Hispanis Praemonstratensibus. Verum, ex Diario abbatis Grimbergensis, Van Eeckhout apparet etiam de hoc negotio in hoc Capitulo tractatum esse. Legimus siquidem in illo Diario³³⁾: «Audieram ex Reverendissimi D. Generalis³⁴⁾ ore Hispanos nostri Ordinis bis terve benevolis litteris ad hoc generale Capitulum fuisse invitatos; vero nullo responso Reverendissimum Dominum fuisse dignum dignatos; quapropter verebar ne perinde vapularent in hoc Capitulo, ut in praecedenti anni 1717, in quo, sess. 11a, declarantur: *rebelles* et *contumaces*³⁵⁾. At Reverendissimus D. de illis siluit, nec quisquam aliorum contra ipsos aliquod proposuit; quod si factum fuisset, censuissem (uti et alii plures) tamquam parum aptos ad illos reducendos, eoque modo professos, ut nec Clementi XI³⁶⁾ obedierint, et Breve Apostolicum mandans ut assumerent habitum

³¹⁾ Ign. Backx. Cfr. n. 29.

³²⁾ Annis 1688-1731, Andreas Thomas erat abbas S. Andreae in Nemore = St.-André-au-Bois, in dioecesi olim Ambianensi, nunc Atrebatensi. Cfr. N. BACKMUND, o.c., t. II, p. 563.

³³⁾ Annis 1717-1747, Augustinus Van Eeckhout abbas erat Grimbergensis. Cfr. L. GOOVAERTS, o.c., t. II, pp. 298-300. Diarium ab ipso redactum asservatur in archivo abbatiae Grimbergensis, II, 19 et 20.

³⁴⁾ Inde ab anno 1702, Cl. Honoratus Lucas de Muin erat abbas generalis Ordinis. Cfr. N. BACKMUND, o.c., t. II, p. 329.

³⁵⁾ Vide textum Capituli generalis anni 1717, supra, p. 53.

³⁶⁾ Non clare indicatur de quonam decreto Clementis XI agatur. Agi verum omnino videtur de decreto, diei 8 februarii 1703, relato a C.L. HUGO, *La Vie de S. Norbert*, Luxembourg, 1704, pp. 344-349, vi cuius Praemonstratenses Hispani reassumere debent habitum communem Praemonstratensium et Breviarium Ordinis. Cfr. *Diarium* cit. n. 33, II, 64.

aliorum Canonicorum regularium Ordinis Praemonstratensis, uti et Missale ac Breviaria eiusdem; sed dictum Breve sub-et obreptionis titulo eluserunt».

E declarationibus istis Capitulorum generalium Ordinis sequitur Hispanos simpliciter non adiisse illa Capitula, quamvis plus quam semel canonice invitati fuissent. Relate ad factum tale, concedendum est fontes de hoc negotio tractantes qui nobis praesto sunt, ex una parte solummodo provenire. Simul, ut obiective iudicare possemus in hac re, «altera pars» audienda esset. Quod probatur documento allato a N. BACKMUND, *Monasticon Praemonstratense*, t. III, Straubing, 1956, p. 219, in quo legimus Hispanos Praemonstratenses a. 1687 statuuisse «eligatur unus abbas qui eat ad Capitulum generale quod in Gallia celebratur, si illic tutus patebit accessus, saltem semel in triennio, nomine totius Provinciae, eiusque expensis et cum mandato Capituli Provincialis» (Archivo Historico Nacional, Pap. Retuerta 16504, nr. 67). Cui testimonio addi debet inde ab anno 1686 per plures annos Capitulum generale Praemonstrati non amplius esse celebratum. — Praeterea notari posset regem Hispaniae, Philippum II, ordinasse ut monasteria sui Regni non amplius regerentur a superioribus aliorum regnorum, in specie «quia monasteria tali modo moderata in plena relaxatione disciplinae viverent». Quod Summus Pontifex Pius V pro monasteriis Ordinis Cisterciensis explicite agnovit³⁷).

3) LITURGIA.

In praesenti nullo modo tractare intendimus quaestiones liturgicas motas et, in praxi, solutas, apud Hispanos Praemonstratenses inde a «Reformatione» apud illos indicta saeculo decimo sexto. Notum est «reformatos» Praemonstratenses Liturgiam presse praemonstratensem non amplius observasse; et loco huius ritum romanum, uti dici solet, assumpsisse et observasse. Ratio vero talis modi agendi, clare indicatur in litteris S.P. Clementis VIII, die 5 Iulii 1593. In quibus litteris, haec, inter alia, dicuntur: «Quae per Religiosos Altissimo famulantes a Nobis petuntur, animo gratuito concedimus, et honeste petentium desideriis

³⁷) Cfr. T. MORAL, *Un capitulo de la Historia de la Congregacion Cisterciense de la Corona de Aragon*, in *Yermo*, 1968, t. VI, p. 67; J. GOÑI GAZTAMBIDE, *Los navarros en el concilio di Trento y la reforma tridentina en la dioecesis de Pamplona*, Pamplona, 1947, p. 197.

libenter favorem Apostolicum impertimur. Sane, dilecti filli Provincialis, et Abbates, et Conventus Monasteriorum Praemonstratensis Ordinis in regnis Hispaniarum consistentium, Nobis nuper exponi fecerunt, quod postquam tum existens in Regnis Hispaniarum Sedis Apostolicae Nuntius in Reformatione dictorum fratrum dicti Ordinis inter alia discereverat et ordinaverat, quod in recitatione Horarum Canonicarum, celebratione Missarum, et aliorum divinorum officiorum, ac super modo, forma et ordine psallendi, et recitandi divina officia servaretur consuetudo et ritus S. Romanae Ecclesiae, si in illis ordinibus essent, qui per ducentos annos saecularem formam Breviarii haberent. foel. rec. Gregorius P.P. 13; praedecessor noster ad instar tunc Generalis totius Ordinis³⁸⁾, ac Provincialis, Abbatum, Diffinitorum, Procuratorum Provinciae Hispaniae dicti Ordinis, ut uniformitas divini officii in toto Ordine servaretur, statuit, ut Missae, et alia divina officia, processionesque, iuxta antiquum et super quingentos annos observatum, ipsius Ordinis monasticum ritum etiam in omnibus Ecclesiis eiusdem Ordinis tam in Regnis Hispaniarum quam alibi existentium, celebrarentur et recitarentur et fierent, ac alias prout in ipsorum praedecessoris et Nuntii litteris, aliisque scripturis desuper confectis plenius continetur. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, licet dictus Provincialis mandaverit ut statutum dicti praedecessoris omnino servaretur, quia tamen antiqua Breviaria, et Missalia dicti Ordinis ob non usum deperdita erant, et ex partibus Galliae Monasteria Reformata Hispaniarum de Missalibus, Breviariis, et aliis libris commode provideri non poterant, in singulis dictorum Regnorum ipsius Ordinis Monasteriis post ordinationem per dictum Nuntium, ut praefertur, Missae et alia divina officia, iuxta mentem et ritum S. Romanae Ecclesiae celebrata et recitata fuerunt. Cumque praedicti Provincialis, Diffinitores, et Procuratores Regnorum Hispaniarum cupiant Missas et divina officia iuxta morem S. Romanae Ecclesiae etiam de caetero celebrare et recitare, Nobis humiliter supplicati fuerunt, quatenus eorum desiderio huiusmodi annuere, aliasque in praemissis opportune providere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos litterarum et aliarum scripturarum praedictarum, aliorumque de necessitate exprimendorum..., huiusmodi supplicationi inclinati, quod in singulis dicti Ordinis ecclesiis, per illorum Provinciale, Abbates, fratres et singulas personas, Missam celebrando et Brevia-

³⁸⁾ I. Despruets.

rio recitando satisfaciant, ac si iuxta monasticum dicti Ordinis ritum celebrarentur et recitarentur»...³⁹⁾.

Huic ordinationi ex parte Sedis Apostolicae communicatae, haec duo addi possunt: 1. Anno 1582, a S.P. Gregorio XIII obtenta est canonizatio (aequipollens) S. Norberti, fundatoris Ordinis Praemonstratensis⁴⁰⁾. Et in Ordine quaestio solvi debebat qua ratione Sanctus Fundator in Liturgia celebrari deinceps deberet. Cum vero Praemonstratenses Hispani efficaciter Romae intervenerint ad hoc ut illa canonizatio authentice obtineretur, iidem hi Religiosi censebant cultum S. Norberti apud se speciali modo esse celebrandum. Ut cultus ille modo apto fieri posset, rogaverunt summum Pontificem ut cultus S. Norberti apud se celebrare possent iuxta ritum et textus Ordinis Praemonstratensis, universim sumpti. Quod ipsis concessum est a S.P. Innocentio 10, die 2 Novembris 1630. Textus huius decreti refertur in ms. Nancy 1763 (933), num. 269: «Innocentius P.P. 10. Ad perpetuam rei memoriam. Christi fidelium quorumlibet, praesertim sub suavi Religionis iugo famulantium, quae peculiarem cultum respiciunt, libenter annuimus, prout conspiciamus in Domino salubriter expedire. Cum itaque sicut dilecti filii Canonici Regulares Ordinis Praemonstratensis Hispaniarum Nobis nuper exponi fecerunt, ipsi officia Sanctorum Augustini et Norberti ad formam Breviarii Monastici recitari posse desiderant. Nos qui eorumdem exponentium favoribus et gratiis prosequi volentes, et eorum singulae personas a quibusvis, etc. supplicationibus illorum nomine Nobis super hoc utiliter in praesenti inclinati, de vener. fr. S.R.E. Cardinalium sacris ritibus praepositorum consilio, officium S. Augustini recitari in totum ad formam Breviarii Romani. Officii vero S. Norberti lectiones 2 di Nocturni conformari ad Breviarium Romanum, et in reliquis iuxta Breviarium Monasticum Apostolica auctoritate Congregatione eorumdem Cardinalium... Datum Romae apud S. Mariam Maiorem sub annulo Piscatoris, die 2 a Novembris 1630».

2. Versus finem saeculi decimi septimi, plures ex religiosis Hispanis sese conformare voluerunt in ritibus sacris uti in usu erant in Ordine universo. Plura documenta huc spectantia referuntur in ms. cit. Nancy, 1763 (993) coll. 247b ss. Praecipua eorum quae in his documentis exponuntur, compendiose proferimus. Anno 1698 quidam Praemonstra-

³⁹⁾ Cfr. P.E. VALVEKENS, *La «Canonisation» de Saint Norbert en 1592*, in *Anal. Praem.*, 1934, t. X, pp. 1-47 (quaedam de cultu exhibito S. Fundatori, ib., pp. 28-33); C.A. VAN LIEMPD, *De lotgevallen van het St. Norbertus'Officie*, ib., pp. 48-90.

⁴⁰⁾ Cfr. nota praecedens.

tenses Hispani institerunt apud Summum Pontificem ut, in habitu religioso usus universi Ordinis assumere possent. Relate ad usus liturgicos, rogant iidem «che recitano l'Officio di tutti li Santi delle medesimo» (Ordine). — Sequitur informatio Ignatii Backx, eo tempore procuratoris generalis Ordinis apud Curiam Romanam⁴¹⁾: «Attesa la verità di tutto il contenuto in quella supplica, a me conosciuta li Oratori delle medesima, approvate della Sede Apostolica e stampate più volte in Parigi, e in Lovanio con tutti li requisiti, circa l'Officio Divino, si conformino alli Breviarii del medesimo Ordine stampati in Parigi, e in Anversa, e usati nelle Religione da molti secoli, lo facciano universalmente per tutta la Provincia di Spagna». Apparet vero, quaestionem illam tunc nondum apud omnes pacifice solutam esse. Vix enim Breve Apostolicum, paulo supra relatum, obtentum erat, cum alii Praemonstratenses Hispani Romae instantiam ferventem praesentarunt ad hoc ut Breve illud ab iis in praxim deduci non deberet. Documenta varia et prolixa ab Hispanis istis provenientia, et huc spectantia, referuntur in ms. cit., fol. 246 b. et seqq. Inde de facto obtinuerunt Hispani illi ut Summus Pontifex, Clement XI, die 8 februarii 1703 ordinaret decisionem Innocentii 10 supra memoratam, executioni mandari non deberet. Breve istud emanatum ab P.P. Clemente XI referimus (ms. cit., fol. 274a): » In Causa Hispaniarum praetensae commutationis habitus et officii vertente inter Congregationem Praemonstratensium Hispaniae ex una, et P. Procuratorem Generalem Ordinis Praemonstratensium Galliae⁴²⁾ etc., et nonnullos Patres eiusdem Congregationis Hispaniae partibus, ex altera: Sacra Congregatio Eminentissimorum et Reverendissimorum S.R.E. Cardinalium negotiis et constitutionibus Episcoporum et Regularium proposita, ad quam Sanctissimus Dominus noster preces eiusdem Congregationis Praemonstratensium Hispaniarum remisit, mature perpensis Brevibus B.Pii V, sanc. mem., Gregorii XIII, Clementis VIII et Urbani VIII, et Resolutionibus ipsius Sac. Congregationis alias emanatis super eadem praetensa mutatione Habitus, re discussa in ipsa Sac. Congregatione favore memoratae Congregationis Hispaniarum, necnon statutis primaevis Ordinis Praemonstratensis, et Constitutionibus praedictae Congregationis Hispaniarum, habitaque opportuna informatione Brevis a san. mem. Innocentii XIII ad instantiam nonnullorum Religiosorum

⁴¹⁾ Ign. Backx. Cfr. supra, n. 29.

⁴²⁾ Ign. Backx.

⁴³⁾ Ign. Backx.

praedictae Congregationis Hispaniarum expediti, atque attento considerati Brevis motu proprio a Sanctitate sua die 8 Februarii concessio, mutationes Habitus et Breviarii in eadem Congregatione Hispaniarum deferri et recitari respective consueti demandante, Partibus hinc inde informationibus referente Eminentissimo S. Clementis, censuit et decrevit, si eidem SS. Domino nostro placuerit, praedictum Breve a Sanctitate Sua sub dicta die 8 Februarii 1703 concessum non esse exequendum, 30 Ianuarii 1705. Et die 7 Februarii dicti anni facta super praemissis relatione eidem Sanctissimo Domino Nostro, Sanctitas Sua praedictam Sac. Congregationis sententiam benigne approbavit, praedictumque Breve executioni non demandari iussit».

4) VESTITUS.

Vestitus a Praemonstratensisibus assumendus in Statutis anni 1630 determinatur. Verum dispositiones istae a Praemonstratensibus Hispanis admissae non erant. Et ab iis habitus primitivus Ordinis acriter defensus et retentus remansit. Cum Ordo Praemonstratensis diu Abbate Generali regulari orbatus fuisset, Hispaniarum modus agendi in genere, ac ordinationes iuridicae in gubernio singularum Abbatiarum et Provinciae a Nuntiis Apostolicis probatus et promotus fuerat, et a Summis Pontificibus probatus. Habitus talis «monasticus», uti eo tempore Hispani nostri sese exprimere solebant, hac ratione (Summa r. fol. 209a, ms. cit. Nancy, 1766 (993), proponebatur. «Cum autem post annum 1618 inter Praemonstratenses Regni Galliae et Flandriae, inhaerendo quibusdam declarationibus et novis decretis Capituli generalis alterata fuerit forma antiqui Ordinis Praemonstratensis, dimisso quotidiano et constanti usu Cappae rotundae et caputiis, assumptoque bireto quotidiano et albo, necnon pro Choro rochetto lineo, seu superpelliceo; extra Monasterium Palleo talari, pileoque albo, et etiam per Abbates mozetta ad instar Episcoporum, et multa alia». Diversitas vestium non modicis difficultatibus ansam praebuit ortis inter Praemonstratenses Hispanos et alios. Plures in hoc negotio Romam tetenderunt Hispani ut apud S. Congregationem Episcoporum et Regularium suum agendi modum exponerent et vindicaret⁴⁴). Extat sub hoc respectu documen-

⁴⁴) Capitulum Congregationis Hispaniae Romam misit, qua procuratores in hoc negotio Ioh. de Arevalo, eo tempore abbas Bellipodii (Bellpuig de las Avellanas), et I. Aleman, qui aa. 1701-1703, abbas erat Urdacens(s) et annis 1707-1708, 1714-1717, reformator generalis

tum satis prolixum apud Congregationem Romanam compositum «contra P. Procuratorem generalem Ordinis Praemonstratensis, et nonnullos Patres eiusdem Patres eiusdem Congregationis Hispaniae». Romae, typis excussum a. 1704. Plures Hispani Praemonstratenses de facto rogaverant ut habitum «canonicalem» induere possent et non amplius habitus «monachalis» ipsis gerendus imponeretur. Quibus ultimis Clemens XI benigne annuit, die 8 februarii 1703. Cum vero haec talis concessio nota facta esset in Hispania, statim in Capitulo provinciali Hispanico, de hoc negotio fuse actum est. Et decisum fuit ut nomine Provinciae, Romam adiret sodalis quidem Congregationis, qui sese ibidem interponeret ut modo dicta decisio Clementis XI immutaretur. Et revera, vi documenti asservati in ms. Nancy, 1766 (993), fol. 273, die 7 Iulii 1703 Clemens XI decretum primum immutavit, decrevitque «ad plenum derogatum esse». Diversae istae decisiones omnino probare videntur non omnes Praemonstratenses Hispaniae laeto animo vidisse etiam sub respectu habitus religiosi Hispanos sese alio modo gerere ac Praemonstratenses aliarum regionum. Et simul sollicitos fuisse de nexu positivo servando inter omnes Praemonstratenses per varias regiones commorantes. Tandem aliquando agebatur, uti explicatur in memoriali porrecto S. Congregationi Episcoporum et Regularium, die 21 Junii 1641, a Philippo Bernal, Praemonstratensi Hispano (ms. cit., fol. 245): «l'habito di San Norberto esser Saia Cappa, Cappuccio, col Coppelino per coprire la Testa, e Scapulario»; qui vestitus, ita idem Bernal, assumptus erat anno 1617 a Praemonstratensibus Reformatis Lotharingiae. — Huic vestitui Hispani Praemonstratenses fideles remanserunt usque ad ultimos annos quibus subsistere ipsis datum est.

5) STATUTA ORDINIS A. 1630.

Praemonstratenses reformati Hispani Statuta anni 1630, in genere sumpta, ex parte sua admittere ac observare noluerunt. Statuta specialia pro sua Provincia condiderunt; quae, praesertim quoad gubernium centrale non modicas discrepantias a Statutis Ordinis, universim sumptis, et promulgatis anno 1630, prae se ferunt. Verum, etiam sub hoc respectu; Hispani isti iterum iterumque affirmarunt se ita agere eo quod Statuta

seu provincialis Hispaniae (cfr. ms. Nancy 1766 (993), fol. 251b). — N. BACKMUND, *Los abades trienales de la Congregacion premonstratense de España in Hispania Sacra*, 1958, t. XI, p. 433 et 434.

sua specialia approbata erant a Summis Pontificibus. Statuta generalia Ordinis anni 1630 quidem redacta et promulgata proponebantur iuxta tenorem Litterarum Apostolicarum S.P. Iulii II anni 1505, quibus Patribus Ordinis Praemonstratensis datur potestas ut vetera Statuta mutant, minuant, vel in toto tollant, ac nova, toties quoties opus fuerit, condant et promulgent. Sed, uti notant Hispani, si tenor Litterarum Apostolicarum presse consideratur, uti prostat in Bibliotheca Praemonstratensis Ordinis, edita a I. Lepaige, additur in fine illarum Litterarum «dummodo Ordinationes et Statuta praedicta ab eisdem sacris Canonibus non devient»;⁴⁵). Vi talis incisi, Hispani nostri hoc modo arguebant et concludebant (ms. Nancy cit., fol. 229a): «Cum Apostolica concessio (vi cuius Statuta Ordinis, si hoc opportunum aut necessarium visum fuerit) restringatur per hanc clausulam: dummodo ea Statuta a Sacris Canonibus non devient. Et ea revocata fuerit tam per decreta generalia pro reformatione Regularium Clementis VIII, per Urbanum VIII confirmata, non potuit Abbas Praemonstratensis huiusmodi Statuta revocare, condere, nec approbare absque Summi Pontificis concessione, licentia, et approbatione, maxime cum illa Iuri communi adversentur». Praemonstratenses Reformati Hispaniae proinde persuasi erant se non esse alienos ab Ordine, universim sumpti, quamvis pax et concordia inter ipsos et gubernium Ordinis in Praemonstrato restitui non potuerit. Hoc ultimum confirmatur ex epistola Fr. Dubal⁴⁶) (ms. cit. Nancy, fol. 174b): «In praedicta Epistola iam annotavi, quod dicis: Nos retinere nomen Ordinis, quamvis mutaverimus habitum, caeremonias et politicam Ordinis. Ad quod dico, quod non solum nomen, sed etiam professionem, ac instituta Ordinis retinemus, et semper retinebimus, cum summa veneratione, ac devotione erga SS. Patriarcham ac P.N. Norbertum, in quo nec vos, nec aliqua vestrarum Ecclesiarum excedere poterit. Quis enim in Curia Romana obtinuit a Sede Apostolica quod officium SS. P. Norberti in tota Romana et universali Ecclesia celebraretur, nisi Procurator generalis huius Congregationis Hispaniae, ad hoc illius expensis specialiter Romam missus?⁴⁷). Et hodie eadem Congregatio

⁴⁵) Ita de facto legitur in Bulla S.P. Iulii II: cfr. *Statuta Candidi et Canonici Ordinis*, Averbode, 1898, p. XXXII.

⁴⁶) Cfr. de Dubal supra, n. 4.

⁴⁷) Agitur de H. de Villaluenga. Cfr. N. BACKMUND, l.c., *Los abates...*, p. 476: «Jeronimo de Villaluenga, ab. in Medina, 1594-1597. — Procurador de la circaria en Prémontré, 1580-82, proc. del abad general de Prémontré en Roma 1582, y como tal obtuvo la canonización de San Norberto, el fundador de la Orden (+ 1134). Prior en Almazón 1591-1594, proc. gen. en Valladolid, después en Madrid 1597».

sollicitat, quod dictum S. Norberti officium sub ritu duplici in universa Ecclesia celebretur. Et ego, minimus huius Congregationis filius, in expositione ad Regulam S.P.N. Augustini, quae typis exaratur, defendo, et propono, Norbertum numquam fuisse Benedictinum, nec nostrum Ordinem Praemonstratensem aliquando militasse sub regula S. Benedicti⁴⁸). . . . Nonne haec denotant affectum ac professionem Ordinis Praemonstratensem, et non tantum nomine, ut in tota Epistola asseris».

6) CANONIZATIO ET CULTUS PUBLICUS S. NORBERTI.

Qua ratione Praemonstratenses obtinere potuerint ut eorum fundator s. Norbertus authentice ab Ecclesia qua sanctus agnitus et proclamatus fuerit, textitur, iuxta fontes hictóricos hucusque notos in P.E. VALVEKENS, *La «Canonisation» de saint Norbert en 1592*, in *Anal. Praem.*, 1934, t. X, pp. 10-47. Notatur ibidem abbatem generalem Despruets revera nihil omisisse ut ad talem proclamatam canonizationem procederetur in Ecclesia ex parte Summi Pontificis. Ad hoc supplicam composuit Summo Pontifici submittendam⁴⁹). Praemonstratensis vero Hispanus Villaluenga «se chargea de la besogne: pratiquement, il fut le postulateur de la Cause. Despruets lui avait donné tous pouvoirs pour mener à terme les pourparlers. Homme très actif, Villaluenga ne se contenta pas d'attendre les événements. Il se mit résolument à la recherche de documents, pouvant servir à promouvoir son entreprise. Et il eut la bonne fortune de trouver un document, ou des documents, de réelle valeur». Notum est S.P. Gregorium XIII, die 28 iulii 1582, promulgasse Breve vi cuius S. Norbertus deinceps authentice, qua sanctus, invocari et coli posset.

In documentis ex Hispania missis C.L. Hugo, pro compositione suorum Ordinis Annalium, haec dicuntur de iis quae in hoc negotio Romae a Villaluenga Romae acta et obtenta fuerint, (ms. cit. Nancy, fol. 165b-166a): «Lutetia a Praemonstratensi reversus, P. Secretarius Villaluenga, indeque copia litterarum D. Praemonstratensis (Despruets) in Hispaniam transmissa, Roma, prout sibi a Patribus huius Congregationis, necnon a Rmo (Despruets), qui eidem confidentiae litteras credidit,

⁴⁸) Dubal scripsit plures libros. Inter quos: *Exposición de la regla de N.P.S. Agustín. Prática de religiosos Prelados y Subditos*. Valladolid, 1663; *Vida apostolica, muerte, y translacion de N.P. y Patriarca S. Norberto Fondador del orden candido, y canonico Premonstratense*, Arçobispo de Magdeburg. . . ., Madrid, 1667. Cfr. L. GOOVAERTS, l.c., p. 209.

⁴⁹) Partes praecipuae huius supplicae referuntur in *An. Praem.*, 1934, t. X, p. 32, n. 17.

fuerat iniunctum, profectus, tantum apud Cardinalem S. Sixti, Papae nepotem, gratiam invenit, ut ipsum paucos post dies famulo apud se in sacro Palatio hospitio receperit, familiarissimumque sibi commensalem, tum Romae degere permissus est, asciverit, quod mirum in modum cum aliis extraneis, cum maxime pro explendis variis negotiis, impetrandisque singularibus gratiis, et privilegiis, toti Ordini nostro profuit. Quotiescumque namque opus erat, ipsi patebat obvius, facilis, benignusque aditus ad SSum. Unde nullo fere negotio articulorum pro parte Congregationis, accedente Rmi Generalis consensu, postulorum confirmationem obtinuit... Item in totius Ordinis decorem, SSmi S.N. Norberti gloriam et Praemonstratensium loetitiam, impetravit facultatem et declarationem cultus sollemnis Rmi Patris nostri ipsi quotannis sub die 6 Iunii a toto suo Ordine exhibendi...».

Praemonstratenses Hispani praeterea effecerunt ut officium liturgicum S. Norberti in Ordine celebrari posset. Posteaque curarunt ut festum S. Norberti in universa Ecclesia celebraretur. Hic, iuxta ms. Nancy citatum, potitissimum debetur Procuratori Hispanorum Romae, Bern. de Leon⁵⁰). Quod ultimum concessum est a Paulo V, die 11 ianuarii 1621, iterumque confirmatum a Gregorio XV, die 7 septembris 1621. Audiamus quidnam Gregorius XV hac de re edixerit: «Pro parte dilectorum filiorum Abbatis Generalis, et Monachorum Ordinis Praemonstratensis, Nobis nuper expositum fuit, quod ipsi pro peculiari, quem erga S. Norbertum, Archiep. Magdeburgensem, eiusdem Ordinis fundatorem gerunt, devotionis affectu, Orationem et Lectiones secundi Nocturni die festo eiusdem S. Norberti recitandas per Nos approbari, summopere desiderant. Quarum quidem orationis et lectionum praeinsertas huiusmodi auctoritate Apostolica praedicta tenore praesentium approbamus, et confirmamus, illisque inviolabilis Apost. firmum robur adjicimus, atque eas in Breviario Romano, quando novum imprimetur reponi debere decernimus et declaramus». Addit ulterius ms. cit.: «Videntes (procuratores Hispani) caeterarum Religionum Patriarchas fere omnes sub ritu duplici in universa Ecclesia Catholica venerari, ac officia eorum celebrari», institerunt apud Summos Pontifices Alexan-

⁵⁰) Bernardus de Leon: cfr. L. GOOVAERTS, o.c., t. I, p. 54; N. BACKMUND, *Los abates trienales...*, p. 454: + 28. VIII. 1627. — Abbas La Vid 1624-1627; S. Norberti 1627. — 1610 prior en S. Norberto, 1621 proc. de la Congregación en Roma. Hombre santo, y gran propugnador de la reforma, pero, como historiador, un fabulista»; L. ARIAS, *La Inmaculada en los Opusculos de fray Bernardo de Leon*, in *Anal. Praem.*, 1968, t. XLIV, pp. 7-60.

drum VII et Clementem IX ut idem concederetur in casu cultus publici exhibendi S. Norberto. «Ambasciator (ita ms. cit.) hispanus apud Sanctum Sedem, Petrus de Aragon, valide procuratorem religiosum Hispanum adiuvit pro sua parte in hoc negotio. Et nomine Regis Hispaniae supplicem libellum ad hoc Summo Pontifici obtulit».

Canonizatione et cultu publico S. Norberti obtentis, Hispani nostri nihil omiserunt ad hoc ut vita S. Patriarchae notam facerent. Iam anno 1667, P. Dubal edidit Vitam apostolicam S. Norberti⁵¹). Anno 1755, M. Illaña aliam Vitam S. Norberti scripsit ac edidit, prae oculis retinendo ea quae ab abbate S. Michaelis Antverpiensis, Van der Sterre⁵²) et ab annalista Ordinis, C.L. Hugo examinata et proposita erant⁵³).

Addi possunt expositioni isti notitiae de conatibus exantlatis a Praemonstratensibus Hispanis pro promovendo cultu publico S. Norberti ea quae egerunt iidem pro promovendo cultu publico S. Hermanni Ioseph. St. de Noriega anno 1730 curavit publicationem biographiae S. Hermanni sub inscriptione: *Vida de S. Joseph Hermanno*, Madrid, 1730⁵⁴). In compositione huius libri auctor, de Noriega, informationes rogavit apud C.L. Hugo. Scribit enim in litteris diei 26 Iulii 1726 (ms. Nancy 993 (1766) f. 305 b), inter alia: «Scripsi Rmae Vestrae Paternitati obsecrans, si forte de nostro D. Josepho Hermanno aliquid speciale, praeter alia quae in eius Vita cum notis D. Van der Sterre⁵⁵) leguntur, haberet observatum, mihi rescribere dignaretur; quippe Vitam christianis, religiosis ac mysticis reflexionibus ornatam, nostro idiomate vertere cupio».

⁵¹) Cfr. supra, n. 48.

⁵²) Cfr. L. GOOVAERTS, o.c., t. I, p. 404 s.; conscripsit, inter alia, *Historia del Gran Padre y Patriarcha San Norberto, Fundador del Orden candido Premonstratense de Canonigos Reglares del Gran Padre y Doctor de la Iglesia San Agustin y de los Varones Ilustres del mismo Orden*. Salamanca, 1755.

⁵⁵) Sub hoc respectu scribit A. HUBER, *Spanien und die Prämonstratenserkultur des Barock*, in *Historisch Jahrbuch*, 1953, t. LXXIII, p. 367. «Hier muss vor allem der Vorsprung hervorgehoben werden, den die spanischen Prämonstratenser auf dem Gebiete des Kultes der Ordensheiligen gegenüber dem Gesamtorden hatten. Der Bollandist Papebroch (V Cfr. V. DE BUCK, *Prolegomenon de cultu sanctorum et beatorum Praemonstratensium in Ordine Praemonstratensi, Acta Sanctorum, Oct. XI*, Paris, 1870, p. 720 ss.) hat deshalb die belgischen und französischen Prämonstratenser an das Vorbild der spanischen Kongregation gemahnt. Früher als andere Ordensgebiete haben die heiligenfreundigen Spanier die Ordensheiligen liturgisch gefeiert, u.a. auch solche, die später vom Gesamtorden nie übernommen wurden. So enthält bereits das spanische Ordenskalendarium von 1620 die deutschen Heiligen Gottfried von Kappenberg und Hermann Joseph, das von 1641, 1647 und 1718 ausserdem noch Ludwig von Arnstein, der selbst in Arnstein die liturgische Verehrung genoss».

In eodem ms., fol. 131, habentur insuper aliae litterae de eodem scripto agentes. In litteris istis, diei 26 ianuarii 1730, scribit de Noriega annalistae C.L. Hugo: «Vita B. N. Hermanni, hispana phrasi disposita, et reflexionibus christianis, religiosis ac mysticis, lucem iam vidit, sub initio currentis anni, hic Matriti, typis Michaelis de Rezola, regalis Collegii Musicorum Typographi, sub titulo: *El segundo esposo di Maria*».

Relate ad cultum publicum exhibitum B. Hermanno Ioseph, notatu digna sunt, quoad conatus Hispanorum istorum, ea quae proponuntur ab A. Huber⁵⁶) (notentur indicationes annorum!): «È degno di nota che appaia già nel 1620 nel calendario spagnolo. Ciò è notevole per il fatto che la provincia spagnola dell'Ordine aveva conseguito nel corso del secolo XVI una larga indipendenza dall'Ordine in generale. La festa si trova qui al 7 aprile ed ha, come tutte le altre, il grado di duplex. I calendari spagnoli continuarono poi a conservare questa festa; pero in alcuni il suo giorno spostato, così nel calendario dell'anno 1718 Hermann Ioseph compare al 4 aprile. — In un *Directorium Officii Divini* del 1640 per i premonstratensi del Belgio la festa di Hermanno Ioseph è registrata come duplex al 4 aprile». ...Nel 1675 l'abate generale inserì nel breviario sette uffici di Santi dell'Ordine col grado di duplex-maius, fra i quali anche uno di Hermann Ioseph con lezioni del secondo nocturno proprie e la nota orazione. Questo fu fatto «iuxta provinciarum consuetudinem» (p. 132).

7) RELATIONES CUM RELIGIOSIS PRAEMONSTRATENSIBUS ALIARUM REGIONUM.

a) *Abbas S. Michaelis Antverpiensis, I. Chris. Van der Sterre*⁵⁷).

Modo diximus scripta abbatis S. Michaelis Antverpiensis speciali modo exoptata et requisita esse ab Hispanis nostris, in specie ubi agebatur de iis quae scripsit abbas Van der Sterre, in sua *Hagiologia Praemonstratensis*⁵⁸). Hac ratione probare intendebant isti Hispani se nullo modo despicere Praemonstratenses aliarum regionum, speciatim

⁵⁶) *Confirmationis Cultus ab immemoriali tempore praestiti servo Dei Hermanno Ioseph (+ an. 1241 vel 1252). Positio super casu excepto ex officio compilata*. Romae, 1954, p. 132.

⁵⁷) Cfr. N. WEYNS, *Jean-Chrysostôme vander Sterre, abbé de Saint-Michel d'Anvers* in *Anal. Praem.*, 1972, t. XLVII, pp. 94-123 (cum bibliographia).

⁵⁸) Cfr.: *Natales Sanctorum*, etc. Cfr. N. WEYNS, l.c., p. 111.

ubi isti fideles remanere volebant usibus vere Praemonstratensis. Ex notis et informationibus missis ex Hispania ad abbatem Hugo, conscribentem Annales suos Ordinis Praemonstratensis, apparet Hispanos, praeter, ea quae supra iam retulimus, cultum ab iis exhibitum B. Radegundi curasse descriptionem decursus vitae huius Virginis monialis asceterii Praemonstratensis S. Michaelis de Trevino⁵⁹). Paucis verbis, Hugo, in suis Annalibus, t. II, col. 282, ubi sermonem habet de sacris reliquiis asservatis in S. Michaelis de Trevino, notat: «Corpus S. Radegundis, Virginis Ordinis Praemonstratensis, quondam Sanctimonialis in Monasterio S. Pauli⁶⁰), urna acclusum sub hac circumscriptione: *Sanctae Radegundis corpus haec continet urna*». In ms. Nancy 1766 (993), fol. 179 s. ubi de vita Radegundis agitur, remittimur ad scripta I. Lepaige⁶¹), ad Acta Sanctorum edita a sic dictis Bollandistis⁶²), potissimum vero ad abbatem Van der Sterre, huiusque Hagiologiam⁶³).

b) *M. Havermans, canonicus S. Michaelis Antverpiensis (1644-1680)* ⁶⁴).

Havermans iste plura opera theologica conscripsit. In disputationibus exortis ex sic dicto «Iansenismo» locum specialem obtinuit⁶⁵), et activus fuit in diiudicandis argumentis propositis ex variis partibus occasione illius «Iansenismi». Defensor acer fuit Havermans doctrinae et mentis S. Augustini. Inter theses circa hanc materiam damnatas a S.P. Alexandro VIII, die 7 decembris 1690, plures ad litteram depromptae videntur e propositionibus expositis ab Havermans⁶⁶). Teste vero ms. cit. (fol. 107b), Havermans commercium epistolare intensum habuit cum theologo Hispano Praemonstratensi, Bartholomaeo de Echenique. Legimus ibidem: «Rmus P. Mag. D. fr. Bartholomaeus de Echenique, Urdaxen-

⁵⁹) S. Michael de Trevino, seu Villamayor de Trevino, in dioecesi Burgensi. Cfr. N. BACKMUND, o.c., t. II, pp. 311-314.

⁶⁰) Monasterium S. Pauli de Sordillos (in dioecesi Burgensi) desiit, uti videtur, ante annum 1300. Cfr. N. BACKMUND, l.c., t. III, p. 293 s.

⁶¹) J. LEPAIGE, *Bibliotheca Ordinis Praemonstratensis*. Parisiis, 1633, fol. 531.

⁶²) *Acta Sanctorum. Ianuarii*. tom. 2, 1643, col. 975.

⁶³) Cfr. n. 58.

⁶⁴) L. GOOVAERTS, l.c., t.I, pp. 356-359; t. III, p. 73.; J. BESSE, art. *Havermans* L, in *Dictionnaire de Théologie catholique*, t. VI (1920, col. 2063 s.; N. WEYNS, art. *Havermans*, in *Nationaal Biografisch Woordenboek*, t. 5, 1972, Coll. 430-434 (cum ampla bibliographia).

⁶⁵) Cfr. N. WEYNS, *De Brabantse Norbertijnen en het Jansenisme* in *Anal. Praem.* 1953, t. XXIX, pp. 55-62.

⁶⁶) Cfr. ib., pp. 58-60.

sis Canonicus⁶⁷⁾ et hic etiam Salmantinae sac. Theologiae Laureatus, ingenii subtilitate celebris, doctrinae fama insignis, atque adeo a R.P. Machario Havermans, S. Michaelis Antverpiensis canonico, Lovaniensi Theologo saepe consultus. Biblicorum Cathedrae moderator praefuit⁶⁸⁾ ad annum 1681. Electus Generalis Reformator⁶⁹⁾, immatura morte correptus est, dum supremam hanc dignitatem zelosissime moderabat. Eius corpus in plano huius Collegii⁷⁰⁾ quiescit sub huiusmodi lapidis inscriptione: Hic iacet RR. P.D. Bartolomaeus de Echenique, Generalis Ordinis, Universitatis Salmantinae Doctor Theologus, in eadem Philosophiae cathedrae moderator. Obiit die XXIIII Decembris, anno Domini MDCLXXXV».

c) *P. Malcot, canonicus Middelburgensis.*

Canonici abbatae Middelburgensis ab inimicis nominis christiani expulsi sunt ineunte anno 1574⁷¹⁾. Unus e canonicis abbatae, P. Malcot, iam ante finem monasterii sui, commorabatur in regionibus hodierni Belgii, ab abbate suo missus ad abbatiam Ninoviensem⁷²⁾. Cum extet folium in quo sermo fit de thesi, publice defensa in universitate Lovaniensi, cui titulus: «An sit in Angelo amor seu dilectio naturalis»⁷³⁾, Malcot, ut videtur, frequentavit universitatem Lovaniensem, et quidem in Collegio Ordinis Lovaniensi⁷⁴⁾. Postea adiit Hispaniam, postquam Praemonstrati commoratus est. Abbas generalis, Despruets, ipsi commisit litteras tradendas Reformatori Generali, seu Provinciali Praemonstratensium in Hispania. Litteras illas asservatas esse non videtur; habemus vero responsum Provincialis, Hier. Calderon: cfr. P.E. VALVEKENS, *Acta et Documenta Joannis de Pruettis in Anal. Praem.*, 1955, t. XXXI, pp. 156-158. In litteris istis, explicite dicitur: «Nollem

⁶⁷⁾ Cfr. L. GOOVAERTS, o.c., t. III, p. 44. - N. BACKMUND, *Los abates trienales...*, p. 244: «Echenique, Bartolomé de»; fil. de Urdax, + 23. XII. 1689. — Ab. gen.: 1684-1685; Ab.: Bellpuig 1675-1678; Salamanca 1678-1681; Urdax 1685».

⁶⁸⁾ Munus hoc obtinuit in universitate Salmantina. — C.L. HUGO, *Sacri Ordinis Praemonstratensis Annales*. T. II, Nanceii, 1738, col. 668 haec de Echenique testatur: «Salmanticensis Doctor, ingenio et subtilitate famosus, 30 Aprilis 1684 electus (Retortae), vitam studiis exhaustam quadragesimo aetatis suae anno, aerae autem Christi 1685 dimisit».

⁷¹⁾ Abbatia Middelburgensis, in dioecesi Ultraiectensi, anno 1574 suppressa est ab inimicis christiani nominis. Cfr. N. BACKMUND, *Monasticon*, t. II, p. 306-311.

⁷²⁾ Cfr. de P. Malcot: L. GOOVAERTS, o.c., t. III, p. 158.

⁷³⁾ Ita GOOVAERTS, l.c.

⁷⁴⁾ Cfr. de hoc Collegio N. BACKMUND, o.c., t. II, p. 301 s.

sane... aliqua negligentiae seu inobedientiae maculari nota, eo quod ex meis nulla ad vos pervenerit epistola, cum non tantum tabellario publico, sed et fratri Petro Malcotio nonnullas tradiderim emittendas, quibus tam de temporis dilatione quam de admissa Reformatione causam praebebam sufficientem». Malcot proinde plus quam semel abbatiam Praemonstratensem frequentavit; et illa occasione, litteras tum Despruetis, tum Calderon hinc inde secum tulit. Malcot autem per plures annos commoratus est in Hispania. Quod clare affirmatur in litteris regis Hispaniae, Philippi II, missis comiti Fuentes, qui eo tempore, nomine Regis, gubernabat regiones Neerlandicas. Litterae illae, scriptae 3 septembris 1595, editae sunt a W. HOEVENAARS, *Bijdragen tot de Geschiedenis der Praemonstratenser Abdij van O.L.V. te Middelburg*, p. 17 (sep.: *Bijdragen voor de Geschiedenis van het bisdom van Haarlem*, 1896). In illis litteris rex Philippus scribit: «Le docteur Malcot retourne présentement pardelà. Je me suis informé de la bonne satisfaction qu'il laisse icy à ceulx de son ordre, entre lesquelz il at continué l'espace de seize ans aux estudes, auxquels il a prins le degré de docteur en théologie... Je suis aussy occasionné pour les mesmes raisons, signamment pour le bien qu'il pourra faire par ses predications et exercices spirituels de vous recommander sa personne, afin que ensuyvant des bonnes parties vous le faites employer pardelà en que sera de sondict ordre et aultrement vous trouverez convenir». Additque rex se velle «de luy accorder l'abbaye de Saint Michiel en Anvers alimentation et entretenement d'habits». Tandem Malcot adivit abbatiam S. Michaelis Antverpiensis, in qua munus prioris et lectoris S. Theologiae ipsi commissum fuit ab abbate Feyten. In Necrologio huius abbatiae legimus, 1 decembris 1569 (manifeste error habetur in anni designatione): «R. et eximius D. Petrus Malcot, Canonicus Middelburgensis, S.T.D., hic Professor et Prior». Ex catalogo religiosorum S. Michaelis Antverpiensis confecto ab abbate Feyten anno 1603, constat Malcot tunc iam esse defunctum.

d) *Servatius de Lairuelz (1561-1631)*⁷⁶⁾.

Lairuelz in abbatiis Praemonstratensium in Lotharingia «reformationem», incoeptam sub abbate Picart, abbate S. Mariae in Nemore, elaboravit, qua abbas S. Mariae; quae abbatia postea translata est in civitatem Mussipontanam (Pont-à-Mousson). Haec «reformatio» no-

⁷⁶⁾ Postea in Hispaniam secessit Malcot. Ibi gradum doctoratus in s. Theologia obtinuit.

men accepit: Communitas Antiqui Rigoris⁷⁶). Postea haec Communitas a pluribus aliis abbatibus assumpta est, ex Lotharingia, Gallia septentrionali, Normannia. Ab initio huius «Reformationis», ab abbate generali de Longpré laudata, postea, ob suum modum agendi satis diversum ab usibus aliarum abbatiarum, sub multa ratione separata vivebat ab aliis abbatibus. Servatius de Lairuelz, magnus promotor illius «Reformationis», libros praeclaros scripsit. Potissimum: *Optica Regularium in Regulam S.P.N. Augustini*. Pont-à-Mousson, 1603; et anno 1623, iterum Pont-à-Mousson: *Catechismus Novitiorum*. Praemonstratenses Hispani quoad habitum religiosum ab ipsis assumptum nonnihil diversificabantur ab aliis sodalibus Ordinis, universim sumptis. Constat Hispanos hunc suum modum agendi acriter defendisse. Invocatis ad hoc Bullis Summorum Pontificum. Huc ab eisdem etiam citatur Catechismus Novitiorum abbatis de Lairuelz. Et quidem his verbis (ms. cit., fol. 175b): «cum Servatio, religiosissimo viro vestrae Communitatis observantissimo, atque adeo observantiae Norbertinae reparatore, teste tom. 2 sui Catechismi, lect. 61, doc. 1».

Servatius de Lairuelz, ex sua parte benigne affectum esse erga Hispanos confratres, deducitur ex iis quae leguntur in Praefatione ad Catechismum suum in qua variae dedicationes sodalium Ordinis, in variis regionibus viventium referuntur. Dedicatio specialis ad Hispanos directa ita sese habet: «Ad Hispanos eiusdem Ordinis. Et tuus est liber, a nostris, Hispania, cultu Fratribus, et nivea nobilitata toga. Horum te pietas, horum te candida vitae Integritas, horum candidus ornat honor. Excipite hunc, Fratres, ut nostri testis amoris. Et nostrae testis Religionis erit. Vester erit; non quod quicquam praescribat agendum. Sed quia quae facitis, scribit agenda liber».

e) C.L. Hugo.

Ineunte saeculo decimo octavo, C.L. Hugo, abbas Stivagiensis et episcopus titularis, intentum efformaverat opera historica varia de Ordine Praemonstratensi conscribere⁷⁷). Ut tale intentum ad effectum

⁷⁶) Cfr. L. GOOVAERTS, o.c., t. I, pp. 478-482. — E. DELCAMBRE, *Servais de Lairuelz et la Réforme des Prémontrés*. Préface de P. MAROT. (Bibliotheca Analectorum Praemonstratensium, fasc. 5). Averbode, 1964. — J.B. VALVEKENS, *Servais de Lairuelz et l'université de Pont-à-Mousson*, dans *L'université de Pont-à-Mousson et les problèmes de son temps*. Nancy, 1974, pp. 291-304. — Cfr. de historia «Communitatis»: N. BACKMUND, o.c., t. III, pp. 118-128.

⁷⁷) Cfr. de Hugo: L. GOOVAERTS, o.c., t. III, pp. 110-129.

foelicem ducere posset, adiutorium activum ex omnibus et singulis Ordinis regionibus stricte requirebatur. Intentum illud in Capitulo generali anni 1717 probatum est. Legimus de facto in Actibus huius Capituli⁷⁸⁾, sessione secunda: «Capitulum autem volens historiae, utilitati et decori Ordinis providere, elegit et nominavit R. adm. D. Ludovicum Hugo, Abbatem Fontis Andreae⁷⁹⁾, qui Bullas Pontificias et omnia Ordinis monumenta ab omnibus et singulis Monasteriis nostrorum Superioribus, propriis eorum expensis ad ipsum transmittenda exigere possit et in unum colligere». Hac ordinatione capitulari obtenta, Hugo litteras misit ad varias Circarias Ordinis. Qua ratione processerit in hoc negotio Hugo exposuit H. Lamy, in *Anal. Praem.*, 1925, t. I, pp. 174-186; 261-285: *L'abbé Hugo d'Etival et la coopération des abbayes belges à son œuvre historique*.

In Praefatione ad *Annales*, publicatas, tom. I, Nancy, 1734, ipse Hugo exponit qua ratione canonicos variarum regionum allocutus fuerit ut sibi transmitterent necessaria et utilia documenta ad hoc ut opus intentum ad bonum effectum perducere posset. Varia monasteria quaesitis ab abbate Hugo positivum responsum dederunt; exceptis abbatibus Poloniae, qui explicitis verbis renuerunt documenta desiderata communicare (Cfr. Praefatio ad *Annales*, tom. I). Notum est documenta hac ratione collecta auspice Hugo, asservata esse in bibl. mun. Nancy; et quidem per plura volumina manuscripta collecta.

Ex Praefatione ipsius Hugo ad *Annales* dictos, clare deduci potest ipsum modo inexpectato et eminenti ex parte Hispanorum sodalium Ordinis validum adiutorium obtinuisse. Quamvis Hugo optime sciat Hispanis illos, in praxi, quasi complete separatos vivere ab instantiis centralibus canonicis Ordinis. Audiamus quid sub hoc respectu Hugo aperte fateatur: «De Hispanorum obsequio haerebamus anxii. Ex quo a trita Ordinis et Capitulorum generalium iurisdictione Pontificis et Regis astipulatione autoritate, se subdlexerunt, sibi que fecerunt Caput, a primo Ordinis Capite distinctum, quod Reformatoris generalis titulo donant, sicut ab aliorum Ordinum membrorum unione fraterna, ita a

⁷⁸⁾ Actus et Decreta huius Capituli impressa sunt Parisiis a. 1717.

⁷⁹⁾ Hugo, iam abbas coadiutor Stivagiensis (Etival) «fut installé le 23 juillet 1712 par le prince-évêque de Bâle, tant en qualité de coadjuteur d'Etival, que comme abbé titulaire de Fontaine-André, située dans l'ancienne principauté de Neuchâtel, en Suisse. Pour bien comprendre ceci, on doit savoir que, depuis la mort de l'abbé Colomb, qui avait été expulsé par les protestants, notre couvent de Fontaine-André avait été sécularisé, et les souverains pontifes donnaient le titre honorifique à des personnages qu'ils voulaient récompenser». GOOVAERTS, I. c., p. 111.

verticis obedientia reverentia taliter alienatos arbitrabar, ut neque procerum decretis, nec nostris moverentur precibus. Discordiae fomitem nuperis apud S. Sedem iurgii exarsisse noveram, et inde verebar fore fomitem repulsae. Sed fefellit opinionem insperatus eventus. Ut primum enim Annalium programma ad Hispaniae Congregationis Praesidem, epistola comite, directum pervenit, illico R.P.D. Stephanum de Noriega, Abbatem Salmanticensem et Theologiae Magistrum⁸⁰⁾, nunc Congregationis suae caput et decus, delegavit Praeses qui ad litteras et ad votum Ordinis dedit responsum humanitate conditum. Praeambulae sponsionem aliquanto post fidem liberavit. Veredis, fasciculum litterarum documentis enixe saginatum, traiecit; methodo munda, et apprime ad propositum concinnatis. Gratulatoria epistola benevolo Confratri egimus actiones gratiarum, et ad suscepti laboris perseverantiam, indefessum in labore (quod ignorabamus) Abbatem animavimus. Ingenuitate nostra, vel, quod verius est, zelo accensus Ordinis eruditus Abbas, transscribendis Diplomatis, elucidandis Hispaniae candidae monasteriis, perscribendae magnatum Ordinis historiae se totum per annos tres devovit, et seriatim transmisit per fragmenta, ne temporis dilatio nos teneret ancipites aut otiosos. Incredibile est quam multa, quam arguta sagacitate opus istud absolverit, quanta in eum exarserit amicitia per amicabilem litterarum consuetudinem conglutinata. Huic optimo et docto Abbati debemus fere omnia quae de coenobiis, quae de fastis Monasteriorum Regni Hispanici edemus».

Litterae missae ab abbate Hugo ad confratres suos Hispanos effece-

⁸⁰⁾ Pro Seb. de Noriega, cfr. L. GOOVAERTS, o.c., t. I, pp. 629-630; t. III, p. 162; t. IV, p. 218. — Praeterea: N. BACKMUND, *Los abates trienales...*, p. 461 s.; «Est. de Noriega, fil. de la Vid, prof. 1700, + 10. V. 1739. — Ab. Gen.: 1732-1735. — Ab. Salamanca 1723-1726; S. Norberto 17...; La Vid 1726-1789. — Secr. Gen.: 1720-1723; 1733 presidente, y 1735 lector en Salamanca, 1730 teologo de la Real Junta de la Purissima Concepción. Nombraba obispo de Solsona en 1737. Escritor muy notable, et mayor historiador de la Orden en Espana». — Addi liceat ea quae scribit idem BACKMUND, o.c., t. III, p. 209, n. 1 relate ad informationes ex Hispania transmissas annalistae Hugo. De «Chronico Ordinis» a Bern. de Leon conscripto, scribit: «Nullos adducit fontes, atque multiplicat hypotheses audaces, immo fabulosas nullis documentis fundatas, ad resarciendam malam famam, qua laborabat Ordo in Hispania ante reformationem. Ordini suo arrogat non solum St. Dominicum, sed etiam St. Antonium de Padua, et originem ordinum militarium, facit S. Norbertum apostolum Immaculatae Conceptionis B.M.V. et alia huiusmodi. St. de Noriega, abbas Vitensis († 1730); historiographus alioquin eximius, paululum magis adhibuit criticae, sed zelo fervens pro Ordine suo, materiam fr. Bernardi ex integro transsumpsit, tentans ei subministrare probationes ex «antiquissima traditione, vel ex «codice vetustissimo», de quibus vero numquam inventum est vestigium. In fide abbatis de Noriega, Hugo adinventiones fr. Bernardi quoad maiorem partem suis Annalibus inseruit. Patet ex dictis, historiam circariae circa multa esse revidendam, et denuo inquirendam»:

runt ut Stephanus de Noriega sese valide accinxerit ad hoc ut desideriiis abbatis Hugo satisfaceret. Responso affirmativo ad quaesita sua accepto, Hugo benevolis litteris confratrem de Noriega allocutus est: «Nancii, Idibus Februarii 1719. Reverende admodum Pater ac confrater charissime. Desiderium dudum, sed votis superiorem recepi Epistolam. Expectationem compensavit scriptoris elegantia, superavit erudita humanitas. Magna elegantia sperare iubet a vobis, specimen illud sagacitatis litterariae, quod iterato perlegimus, sed ne angustia temporum fraudet opus, seu magis ordinem, lumine illo, quod loeti, licet aliquatenus impatientes praestolamus a vobis, enixe deprecor ut quanta poteritis diligentia, subministretis mihi quidquid promovendo ordinis decori iudicaveritis conducere. Ante 5 menses proelum non subibunt Annales⁸¹), spatium illud sufficere autumo (maius, si necessum sit dare paratus) ad concinnandos commentarios vestros. Nihil de labore vestro minuatur, et totum quaecumque sit opus, quod orbi litterario tradere disponitis, transscriptum transmittito, sub ea transscriptione quae epistolae vestrae viaticum praebet iter. Si obesus sit fasciculus, in diversos sectus manipulos, alternis cursoribus committe. Hoc tantum advertat veneranda vestra paternitas ut locorum situm, dioecesim, provinciam serio annotes, sicut et abbatiarum filiationem et praeeminentiam. Coeterum, Rde admodum Pater, miror hominem nullius nominis, et paucis elucubrationibus vix noscibilem, cognitum esse vobis, utinam de facie et loquela nosceretis, videreris homuncionem Ordini penitus devotum, vestri Rmi Reformatoris et Reformationis vindicem zelosissimum, et Rdae Dominationis vestae.

Humillimum servum et obsequentissimum Confratrem f. Hugo, Abb. Fontis Andreae, S.T. Doctor, et Celsitudinis reginae a Consiliis et Historiis» (ms. cit., fol. III).

Litterae istae abbatis Hugo videntur esse responsum directum litteris Stephani de Noriega, diei pridie Calendis Ianuarii ann. Dom. 1718, in quibus de Noriega se hoc modo evocat: «P. fr. Inigo Stephanus de Noriega, Secretarius generalis Congregationis Hispaniae Regni, et indignus sac. Theologiae Lector in Collegio S. Norberti Salmanticensis⁸²)» (ms. cit. fol. IV). Ex istis litteris patet de Noriega designatum esse ad hoc ut ipse abbati Hugo desideratae informationes praeberentur de Ordine;

⁸¹) Primus tomus Annalium abbatis Hugo editus est a. 1734; secundus tomus a. 1736.

⁸²) Collegium, deinde abbatia, S. Norberti Salmanticensis, fundatum est, consequenter ad decretum Capituli provincialis Hispaniae, a. 1568, ad studia in Ordine promovenda. Cfr. N. BACKMUND, o.c., t. III, pp. 283-285.

Generalis Reformatör (seu Provincialis) Praemonstratensium Hispaniae de Noriega designavit⁸³). Inter alia, haec a de Noriega (ms. cit., fol. IV) dicuntur: «Ad rem ergo vidimus atque perspeximus Capitulum generale Praemonstrati celebratum⁸⁴) factum coetu dignum, diuque ab omnibus desideratum intentum, ad factum perductum, Tibique, cuius fama quidem ab omnibus haud ignota, vastissimam scribendi provinciam commendatum iri. Ex prospectu etiam cognovimus quid a nostra Congregatione exigas votis tuis (etiamsi) plane satisfecisse credimus, si duo exemplaria, non exigua, volumina Annalium, quae iam pagulo ultimo obligata, vel lucem aspexissent vel ea te aspexissent⁸⁵), vel a te transscripta faciliori conductione remitti possent. At hoc non permittit distantia locorum; illud vero, si olim forsitan incuria, nunc sane prohibet penuria temporis. Extractum nihilominus, quantum licuerit copiosum, Congregationis nostrae Chronographus, Rmus noster Generalis Reformatör (cuius iussu ego scribo⁸⁶), tendet etiam in hoc nostra Collectio, quia Salmanticensis Doctor elaborandum iunget, et elaboratum a te transmittere curabit. Sed quoniam praedictus Chronographus adversa valetudine adhuc gravatur, nec suo, nec nostro desiderio ea celeritate qua optaremus, fiet satis».

Tandem, exscribimus Epigramma ab alumni Collegii Praemonstratensis Salmanticensis (ms. cit. fol. 301b) relatum in fine notarum transmissarum a de Noriega, die 15 martii 1726. Epigramma istud sic confectum est :

Quae Hispanos Lairuelz juvenes, Deo flante, Cathechesi⁸⁷)

Edocet, et recte nobis agenda tulit:

Acta petat Reverendus Hugo, quin acuta requirat,

Quid mirum? sane creditor inde fuit.

His titulis, Lotharingiae, suis gratantur Iberi,

Ut gesta hic referat, ille gerenda docet.

At Salmantini, quos Candidus Ordo Tyrones,

Instruit, aeternum dant tibi, Praesul. Ave.

⁸³) Annis 1717-1720, Laurentius de Castillo erat reformatör generalis circariae. Cfr. N. BACKMUND, l.c., *Los abates trienales...*, p. 442: «+ 1724 in Salamanca. — 1710 lect. en Salamanca; definitor 1711-1714; 1714-1717 vic. gen. y catedrático de Exegésis en Salamanca, probablemente también 1720-1724».

⁸⁴) Agitur de Capitulo generali in Prémontré a. 1717.

⁸⁵) de Noriega relate ad hanc affirmationem minus recte informatus est.

⁸⁶) L. de Castillo, vide supra, n. 83.

⁸⁷) Agitur de Catechismo Novitiorum, conscripto a S. de Lairuelz a. 1623. Cfr. P. MAROT, l.c., (supra, n.n. 76), p. xxviii-xxx).

f) *Moralitates in Cantica Canticorum* (Philippi de Harveng?).

Inter opera abbatis Bonae Spei, Philippi de Harveng⁸⁸), prout evulgata sunt ab abbate Chamart, anno 1621 et reimpressa in MIGNE, *Patrologia Latina*, t. CCIII, habentur (coll. 100 ss.): *Commentaria in Canticum Canticorum*, doctrina et venustate litteraria conspicua. Immediate post haec *Commentaria*, sequuntur: *Moralitates in Cantica Canticorum*. Perlegendo utraque *Commentaria*, statim apparet *Moralitates* istas aliam formam scribendi exhibere quam *Commentaria* prima. Quaestio de auctore duorum istorum *Commentariorum* nondum positive soluta videtur. Quamvis argumenta vere probantia desint, satis generatim inde a plurimis saeculis asseritur «*Moralitates*» istas attribuendas esse abbati Lucae († 1182) Montis S. Cornelii (Mont-Cornillon) Ordinis Praemonstratensis, postea translatae in Bellum Reditum (Beau-Repart), in civitate Leodiensi⁸⁹). Videtur abbatem annalistam Hugo in conscribendis suis *Annalibus* iam ruminasse quaestionem de auctore «*Moralitatum*». Et ipsum de hac re interrogasse confratres suos Hispanos. Responsum ad hoc quaesitum, redactum a Steph. de Noriega legitur in ms. cit., fol. 307b. Responsum datum coincidit cum responso generatim dato. Quidquid sit de solutione huius quaestionis, ex responso de Noriega constat Hispanos nostros opera confratrum aliarum regionum casu dato sedulo et reverenter legisse atque scrutari. Tenor responsi dati a de Noriega est huiusmodi:

«Illme ac Revme Domine, Charissime Confrater,

Nihil mihi tam anxie, uti novit Dominatio vestra, splendorem Norbertini Ordinis desideranti sese offert quod ad nebulosae vetustatis elucidationem possit conducere. Quin statim ad vos, velut ad intimitatem lydium lapidem desscribendum existimem.

Hac ipsa die narrationis ergo evolventi opera egregia D. Philippi Abbatis⁹⁰), et inter ea potissimum «*Moralitates in Cantica Canticorum*», quae et ipsi attribuuntur cum offenderim, opusculum Philippi singulare, ac vel ipsa consonantia, notissimum stylum minime redolere, imo multum ab eius phrasi distare, occurrit illico suspicio, an ne alter ex

⁸⁸) Philippus de Harveng, secundus abbas Bonae Spei (in dioecesi, olim Cameracensi, nunc Tornacensi + 1183). Plura opera conscripsit, quae, anno 1621 edita sunt ab abbate Chamart, et reimpressa in *Patrologia Latina* (MIGNE) t. 203. Cfr. L. GOOVAERTS, o.c., t. I, pp. 34-37. — G. SJEN, *Les œuvres de Philippe de Harveng in Anal. Praem.*, 1939, t. XV, pp. 129-166 (cum ampla bibliographia); ID., *Philippe de Harveng, abbé de Bonne-Espérance*: ib., 1938, t. XIV, pp. 37-52; N. WEYNS, art.: *Filips van Harveng in Nationaal Biografisch Woordenboek*, 1972, d. IV, coll. 329-340.

⁸⁹) fr. de abbazia Belli Reditus (Beaurepart): N. BACKMUND, o.c., t. II, pp. 357-360.

⁹⁰) Philippus de Harveng. Cfr. n. 88.

nostris foret Author praefati opusculi? Cum adverterem in Proemio ediscere Authorem, eiusque «nomen contineri in primis litteris primarum quinque partium primi tomi». Sed frustra ex eis namque nullius nomen potui efformare. Nec ab incepto destiti; percurri quinque primas litteras primarum quinque partium, idest non primi tomi, sed tomorum. Ex ipsis clarius perspexi efformari posse nomen «Lucae», cui si adverterimus D. Lucam, qui etiam Commentarium Aponii in Canticum Canticorum concinasse fertur, cuius continuatio obvia est in Bibliotheca Veterum Patrum»⁹¹). Nec a concepta opinione depellit, quod littera primae partis, aut primi tomi sit M. Nam ibi annotatur «desideravi nonnulla, quae legi non potuerunt in autographo litteris passim obsoleto». Ex quo etiam conici datur ex «primi tomi forsitan autographo» non reperiri. His ergo nititur coniectura nostra, si forte eruditioni vestrae non displicent. Interim adduci non potero ut credam Philippum libri auctorem, cuius nomen ibi non audio nec invenio».

J.B. VALVEKENS, O. Praem.

⁹¹) «Moralitates» illae apud CHAMART, l.c., pp. 286-339; in Patrol. Lat., l.c., coll. 489-584. — Quaestio de authenticitate harum «Moralitatum» soluta dici nequit. Inde a J. TRITHEMIUS, *De viris illustribus ordinis Sancti Benedicti* (ed. Coloniae, 1574) «Moralitates attribui solent Lucae nostro. Argumenta autem vera omnino ad hoc adesce videntur. Status quaestionis optime indicatur apud SIJEN, l.c., p. 146 «Lorsqu'après avoir lu le commentaire du Cantique des Cantiques de Philippe de Bonne-Espérance, on passe aux Moralitates, on s'aperçoit rapidement que l'on est en présence d'un ouvrage qui ne peut être sorti du calame de Philippe. Le style en effet présente un tout autre aspect, une toute autre allure. ... Qui serait l'auteur de ce traité? Le proemium de l'ouvrage nous fournit des indications à ce sujet. L'auteur invite en effet, celui qui désire connaître son nom, à rechercher les 5 lettres initiales des 5 premières sections du premier livre. Mais celui qui se livre à cette enquête n'obtient aucun résultat; aussi, semble-t-il que N. Chamart ou le ms. qu'il avait à sa disposition n'a pas respecté la division primitive donnée par l'auteur. Le problème toutefois ne paraît pas insoluble, car si l'on prend les lettres initiales des livres 2, 3, 4 et 5, on obtient respectivement U C A S; comme d'autre part le premier livre est acéphale, on peut sans doute suppléer un L, pour compléter le nom, et l'auteur s'appelait ainsi Luc. ... Peut-on déterminer davantage la personnalité de ce Luc? Remarquons tout d'abord que l'ouvrage est dédié à Milon, premier abbé de Dommartin, puis évêque de Thérouanne (1131-1148); et à Hugues de Prémontré; Luc les appelle tous deux «Patribus». Or l'abbé Luc de Mont-Cornillon (+ 1179) écrivit une *Summariola in Aponii Commentaria in Cantica* (ed. in *Maxima Bibliotheca Veterum Patrum et antiquorum Scriptorum Ecclesiasticorum*, t. 14, Lugduni, 1677, pp. 126-139) et curieuse coïncidence, il dédia ce travail aux mêmes deux prélats. Les «Moralitates» seraient-elles donc l'œuvre de Luc de Mont-Cornillon? La comparaison du style des deux ouvrages ne semble pas favorable à cette identification. Plusieurs particularités stylistiques des «Moralitates» font défaut dans la «Summariola». D'autre part, il ne semble pas davantage que l'auteur des «Moralitates» nous dit (ed. Migne, col. 1026) qu'il abandonna son exposé du Cantique des Cantiques après avoir terminé le quatrième livre. Il est difficile en effet de décélérer une quadruple division dans les «Moralitates». Quidquid sit de hac quaestione, uti videtur, nondum soluta, ex considerationibus expositis a de Noriega in litteris suis apparet hunc auctorem nullo modo oculis et mente clausis, proponere uti certum quod sibi certum non videbatur.